

RERUM TRANSYLVANICARUM.

LIBRI QUATUOR,

Continentes res gestas PRINCIPUM ejusdem ab ANNO 1629. usque ad An. 1663.

Authore


JOANNE BETLENIO,
COMITE Comitatûs Albensis, regni Transylvaniæ CONSILIARIO, CANCELLARIO, ac Sedis Siculicalis Udvarhely CAPITANEO Supremo, &c.





Anno Salutis M. DC. LXIV.





CELSISSIMO PRINCIPI,

Domino Domino

MICHAELI APAFI,

Dei gratiâ Principi Tranſylvaniæ, partium regni Hungariæ Dñ & Siculorum Comiti, &c.

Domino ſuo Clementiſſimo humilimè offert, &c.



Mpar humeris meis onꝰ, Princeps Celſiſſime, te jubente ſubeo, dum afflictiones regni tui, qui-

bus ab adoleſcentiâ meâ ad præſens uſq; conflictatur miſeréque laborat, tenui calamo Europæ in propatulum me producere jubes. Terret quidem nonnihil fateor imbecillitatis propriæ conſcium ponderis impoſiti gravitas, verùm tibi jubenti cum non liceat non parere, in Domino qui in ipſo fidentes, ſeipſis plerumque validiores reddit, efficitq;

citáq;, ut cum divo Psalte in eo ſperantes, murum alioquin vix pervium tranſilire poſſint, ſpem collocãs, id quod per Celſitudinem Tuam erat imperatum, non ut rerum à me exegiſſet magnitudo, jubentiſque congruebat dignitati, ſed ut præſtari per me potuit, Deo favente publicæ bonorum cenſuræ ſubjicio. Teſtor Deum, nullâ

ambitione, ſcribendi-
qué pruritu, eo minus
quempiam obtrectandi
intentione, ne juſſis tu-
is, Celſiſſime Princeps,
refragari negligam, im-
pulſus, cui, ſi quempiam
in regno tuo eidem o-
peri inſudare innotuiſ-
ſet, honeſtiſſima memet
excuſandi ſuppetebat
occaſio, ſed reliquis in-
ter tot pericula aut ſolâ
vitæ curâ occupatis, aut
præ metu extabeſcen-

tibus, rudi res noſtras Minervâ orbi Chriſtiano ſiſtere, famæq́; (quæ raro aut nũquam in ſuâ ſimplicitate per nationes circumferri ſolet) vitia, è mentibus nationum excutere æquiùs duxi. Non quidem negotium cui inſiſto periculi expers perſpiciens, dum vivus de vivis, aut iis qui inter tot pericula fato functi, poſteri tamen eorum etiamnum

rerum nonnihil potiuntur, ſcripſiſſe præſumſerim; Verùm juſtitiâ cauſę ſuffultus, patrociniόque Celſitudinis Veſtræ munitus, intrepidus rei admoveo manus.

Nec video, quod alii dicere aut facere non erubuerunt, cur genuinè idem exponere verear? Qui enim quicquid vult dicit vel facit, ea (ut ait ille) quę non vellet audiat & experiatur

neceſ-

necesse est. Discant prę-
terea cuncti, non sem-
per ea quæ palato arri-
dent, sed quæ æquitati
honestatique consona
sunt, in versatili hâc
mundi Comœdiâ aliis
scribenda relinquere,
aliàs seu bene, sive per-
peram factorum non
defuturam apud poste-
ros memoriam. Ve-
stram quoque Celsitu-
dinem lynceis procul

dubio oculis quid in quoquam imitandum, quid evitandum, quiq; rerum ſcopuli amovendi, in rerum Tranſylvanicarum ſpeculo perveſtigaturam nil ambigo, quod faciendo tam quieti afflictiſſimæ ſuæ patriæ, quàm propriæ conſultum fore credat exiſtimationi, futurúmque procul dubio, ut præſens nunc ætas,

ſerá-

ſeráque tandem poſteritas, non vitæ Tuæ Celſitudinis, (ut de nonnullis factum) ſed morti, dum in humanis eſſe deſierit, indoleant, quod tamen ad nepotum meorum & aliorum tempora divina differat bonitas, Téque præter propriam & aliorum expectationem ad hoc principatûs faſtigium evecto regnante,

te, poſt tot calamitates exantlatas Halcyonis dies Eccleſiæ ſuæ largiatur, precatur:

Ejusdem Celſitudinis Tuæ

obſequentiſſ. Serv.

JOAN. BETLEN.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Sublunaria qualibet mutationi esse obnoxia sapientes cuncti asserunt, insipientes inviti sentire patique coguntur. Quod principium absq; ullis subintelligentiarum exceptionumq; annexionibus adeo latè patere certum est, ut non solùm res inanimas, bruta ac feras, verùm hominem quoq;, singularem

Dei omnipotentis creaturam, quam animâ rationali, eáq; divinis dotibus ornatâ donare dignatus est, sub hoc gemere iugo cæcus est qui non videat.

Nec in hominibus distinctim per individua cõsideratis hic mutationum finis? Universæ quin potiùs terrarum nationes, singula secula, quælibet provinciæ, ac regna, tristia mutationum humanarũ posteris præbẽt præbuerũtq;

docu-

documenta. Cujus utinam in afflictissima natione Hũgarica domestica cum mœrore animi non sentirẽ exempla! Quæ extraordinaria Dei clementia pro incultis Scythiæ solitudinibus terra omnium bonorum copiæ affluente beata, inclytis ac victoriosissimis diu superba Regibus versa nunc rerum fortuna, provinciis compluribus, fortalitiis vix numerandis per barbaros occupatis, Tran-

ſylvaniâ provinciarum coronæ ejusdem opulentiſsima, fortiſsima, extremè laborante, imò agonizante, ne reliquiæ quidem ipſius, inter tot minas apparatuſq; hoſtium ſalutem ſibi polliceri poſſunt.

Totius quocirca Europæ ſermonibus res noſtras teri, in negotioq; tot tragicis viciſſitudinibus inſignito, ab iis qui longè disſiti, incertiſq; fidem adhibentes rumoribus, præcipitando de nobis iudicium, nunc hos, nunc

*illos, quandoque totum Trã-
ſyæ regnum traduci perſpi-
ciens, eoſque hoc errore libera-
re ſatagens, res Tranſylcas
tragicaſque à deceſſu Princi-
pis Betlenii, eius mutatiões
orbi Chriſtiano in veritate,
illibatáque fretus cõſcientia,
palam reddere decrevi.
Imbecillitatis quidem pro-
priæ non neſcius, quippe cui
bimo patre orbato ſub vi-
triciq́ue literarum rudis tu-
tela educato, nunquam ex-
tra limites Tranſylvaniæ
Muſas ſalutare licuit, ſi*

itaq; verborum lenociniis subtiliq; fucatarum rerum lepore, mi lector, temet oblectare contendis, procul hinc facesse, monitum te velim; hîc, nil nisi tristes rerum mutationes, cruēta prælia, fortalitiorum nonnullorum obsidiones ac occupationes, tres intra biennium Principes ferro peremptos, centum ad minimū Christianorum millia in captivitatem asserta, charissimæq; patriæ meæ (Trāsylvaniæ) nisi Deus aver-

tat, exitium rudi ſimplicíq; ſtylo expoſita habebis, quæ ſi libuerit perlecta poli, ſaltem intelligar, obtinui quod optabam.

Sed longè ponderoſius ſupereſſe videtur impedimentum? Dum te diverſiùs in parte, vel in toto, hæc audiviſſe obiicias. Certum eſt, habet nonnihil ponderis obiectio; interim ſic me vidiſſe, ſenſiſſe, de iiſq; quorũ (ut ait Virgilius) magna pars fui, non ea quæ huic aut illi placent, ſed quæ ve-

ra ſunt, rara Principis noſtri clementiſsimi bonitate, quo regnante non ſaltem ſentire, verùm etiam vera ſcribere abſq; periculi metu fas eſſet, ſcripſiſſe intelligas; Qui verò præconceptæ opinioni velificando veritati fidem adhibere renuit, cæcuciat pro lubitu per me licet, veritatis autem intelligendæ deſiderio qui tangitur, hic res noſtras nudè deſcriptas, judicium autem de iis omnibus integrum vobis relictum, habebit,

præmonitis tamen, modestè & Christianâ charitate de iis ferre sententiam, qui inter duos orbis Monarchas (ipsi invalidi) siti, nunc hujus, nunc illius partis rebus prævalescentibus, interdum ab alterutro intollerabiliùs pressi oneribus, nisi perire maluissent, extremâ rerum necessitate (quæ cunctis mortalibus prædominatur) ipsos non immeritò excusante, patronos nonnunquam mutare coacti sunt.

Utinam te, mi Lector, Transylvaniæ, nos Transylvanos, Viennæ Austriæ, Lutetiæ Parisiorum, aut Madridi incolas, solùm decennium haberet! tu de nobis, nosq; de te, exactis illis annis, iustißimum procul dubio ferremus iudicium; Sed vos in altâ pace, alienis hactenus non immixti periculis, perpetuam distantiam locorũ fisi, ab incursionibus potentißimæ illius nationis, quæ nationẽ Hũgaricam obtrivit, reliqui-


asq́; eius in dies deglutire nititur, forſan ſperatis pacem? Utinam non vos fallat ſibi plus iuſto plerumq; placens humani iudicii imbecillitas! In eo enim Europæ angulo Tranſylvaniæ regnum ſitũ credas, cuius incolumitas ſecuritati veſtræ connexa eſt, eiuſdemq́; exitium (quod divina avertat bonitas) circumſitarum nationum ruinam ſecum trahet. Sed hæc dixiſſe ſatis.

Deus, qui (ſceleribus

noſtris ita promerentibus) flagellis hiſce paternis nos ad reſipiſcentiam excitat, noſtri miſertus; pauculis qui inter tot clades ſuperſumus, jam tandem largiatur pacem, vos verò Chriſtiani lectores in eâ qua nunc gaudetis tranquillitate diu florentes cõſervet.

Veſtri ſtudioſiſſimus & ſervitor paratiſſimus,


JOANNES BETLENIUS,
Comes Com. Alb. regni Tranſ. Conſil. Canc. ac Sed. Sic. Vdvarhely Cap. Sup.



RERUM TRANSYLVANICARUM

LIBER PRIMUS.

PROOEMIUM.



Ranſylvaniam à principio inclyti Reges Hungariæ poſſedêre. Poſtquam verò colluvies Turcarũ, perfidiâ diſcordiâq; Græcorum ex Aſiâ in Europam trajeciſſet, oppreſſiſq; iis, quorum ope trajecerat, paulatim ulterius ſerpendo, vicinos Reges, ac populos immani proſtraſſet rabie, tandem Regibus quoq; ac regno Hungariæ, eidemq; ſubjectæ Tranſylvaniæ negotium faceſſere cepit; Cùm quibus quàm variâ per complures años fortunâ dimicatũ, glorioſiſſimæq; olim Nationi quo pacto Mohacsiana clades

fatalem acceleraſſet periodum, à compluribus memorata ſunt.

Nec defuêre ſucceſſivis quoq; temporibus inſignia ingenia, quorum labore, Joannis Szepuſienſis (qui deinde nomen regis obtinuit) contra Ferdinandum ejus nominis primum (Romanorum Imperatorem) res geſtæ, ejuſdemq; cum Solimano Turcarum Imperatore, (quâ ſe regnumq; Tranſylvaniæ ſub certis conditionibus tributarium fecit) confederatio inita, orbi Chriſtiano manifeſtata ſunt.

Nec avulſo à Coronâ Hungariæ, Tranſylvaniæ regno, Stephani, Chriſtophori, ac Sigiſmundi Bathoreorum, Stephani Bocskaii, Sigiſmundi Rakocii, Gabrielis Bathorei, ac Gabrielis itidem Betlenii, Principum Tranſylvaniæ res geſtas, bellaq; tàm externa quam civilia Europa ignorat.

Mihi fixum, res ac umbratilem, poſt deceſſum mariti ſui Catharinæ Brandenburgicæ, Stephaniq;, Gabrielis

brielis Betlenii uterini fratris principatum, Georgiiq; Rakocii Senioris, ad eandem provecti dignitatem, acta, ac decessum verbo complecti.

De successore tandem & filio ipsius ejusdem nominis paulò fusiùs: connexionibusq; rerum sic exigentibus, quæ vicissitudines, qui hominum actus, in eam, quâ nunc jacet, vastitatem præcipitavere Transylvaniam, quiq; post infelicem Rakocii casum, in Principatu, tragicisque Transylvaniæ actibus Successores ipsi fuêre, absq; omni fuço, in veritate perscribere.

BREVIARIVM LIBRI PRIMI.

GAbriele Betlenio decedente, Catharina Brandeburgica in Principatu succedit, quæ anno nondũ expleto renũciare cogitur. Cui Stephanus Betlenius Gabrielis frater, qui antequam in Principem eligeretur, diffisus suffragiis Statuum, per filium Stephanum, generumq; Davidem

Zolyomium, Georgium Rakocium ex Hungariâ ad Principatum capessendum invitat, quo iter ingresso, ipse interim in Principem eligitur, verùm utri ex duobus Regnicolæ adhærere vellent permittens, ipsi Rakocius præponitur, privatamq; cogitur denuò amplecti vitam. Catharina Rakocius Munkacsium & Fogaras arces adimit. Zolyomium incarceratum bonis omnibus exuit. Filium Stephani Betlen Petrum sub prætextu homicidii cujusdam persequitur, exacerbatus pater ad Turcas transit, unde bellum contra Turcas ortum, quod per contractum finitum. Per leges à se conditas potiorem Trãsylvaniæ partem Nobilibus adimens uxori filiisq; distribuit. Cum Svecis confederatione initâ Hungariam invadit, quibus in Moravia relictis pacem cum Imperatore Romanorum init. Defuncto Vlàdislao Rege Poloniæ, dum regnum ejus ambit, fato fungitur, et Albæq; Juliæ tumulatur. Gesta hæc annis decem & novem.

LIBRI PRIMI

SECTIO I.

PRINcipe Betlenio [1629.] (qui decimooctavo regiminis sui anno fato functus longè florentius quam acceperat, reliquisse videbatur regnum) è vivis sublato, diversi in totâ Transylvaniâ erant animorum affectus, nonnullis (qui per leges regni aliquâ pœnâ sub eo mulctati) lætis simul ac mutationi applaudentibus, pluribus (inter quos Stephanus, ejus frater Germanus, totiusq; regni eodem vivente Gubernator, una cum filiis Stephano ac Petro Betleniis) eum ex animo deflentibus; Catharina Brandeburgica, quam jampridem in Generalibus regni Comitiis Successorem Principem (non Principissam) creaverat, profusæ er-

ga omnes liberalitatis, ſed imbecillitate ſexûs malè conſultoribus facilè obnoxia Regni habenas auſpicari videbatur.

Unde ambitione inter ſe proceres laborare, jubere potiùs, quàm quippiam à fœminâ Principe impetrare.

Nec quievêre diu inter eos hi animorum motus; poſt paucos enim menſes, dum ad procuranda regni negotia, Generalibus intereſſent in civitate Saxonicali Medgyes Comitiis, ne apud ipſoſmet quidem hujus tumultûs authores certam ob cauſam, parvum abfuit, quin ferro in urbe inter ſe dimicatum, plurimis (imò omnibus) lenitatem regentis accuſantibus, quâ probè utentibus, feliciſſimè cuncta in tranquillitate fluere poterant.

Altera itaque denuò in civitatem Claudiopolim [1630.] (defectibus quaſi publicis conſulturi) Comitia indicunt, Catharinam Brandeburgicam Principem, tanquam tantæ imparem

remmoli, Regno in iis cedere jubentes, de futuro tamen Principe necdum inter se concordes, paret illa non monentibus, *sed jubentibus, in bonaq; peculiaria per dispositionem decedentis mariti sibi legata, quæ tanta non imparia erant dignitati recessuram se spondet*; Nec Stephanus interim Betlenius (qui regni erat Gubernator) de Principatu obtinendo Statuum fidebat suffragiis, ne itaque cuipiam invitus subesset, alteri quin potiùs ipse conferre videretur imperium, *Davidem Zolyomium (cui filiam elocaverat) ac Stephanum filium, utrosq; in Regno opibus ac Clientelis potentes, in Hungariam ad Georgium Rakocium, Saros-Patakini in propriis degentem bonis, cum occultis mittens mandatis, suam suorumq; in obtinendo Principatu opem ei offert.*

Erat luculenta quę offerebatur conditio, maximam offerentium potentiâ eam obtinendi addente spem, nec diu cunctatum, movit cum consultoribus

ad iter dictum Rakocius; *Hæc dum in iisdem Comitiis Regnicolis innotuêre, reclamatum extemplò à potioribus, communibusq; cunctorum suffragiis Stephano Betlenio (Regni Gubernatori) hactenus de favore eorum dubitanti Principatus oblatus est, legati insuper qui Rakocium in propria redire, Zolyomiumq; ac Stephanum Betlenium juniorem, intermissâ legatione, ad complexus patris, novi Principis, redire juberent, missi.*

Verùm in Hungariæ partes regno Transylvaniæ unitas penetraverat Rakocius, à Stephanoq; Betlenio juniore itineris ipsius suasore & comite, magnâ cum solennitate explosionibusq; tormentorum, in arcem Varadiensem, ipsomet istius insignis fortalitii, Supremi Commendantis (nos Capitaneum appellamus) tenente munus, introductus erat, ac quo solennior in Transylvaniam fieret ingressus, aliquot Hajdonum millia (hi erant liberi sub Principatu Transylvaniæ equites, nullique

præ-

præter Principem, nisi Capitaneo Varadiensi subjecti) congregata habebat.

Horruerunt legatione Statuum Regni auditâ, tàm Rakocius, quàm toties dicti ejus comites, irritaq; fuit legatio; tandem ut Princeps Stephanus Betlenius ac Rakocius inermes in certo convenirent loco, placuit.

Aderant cum Betlenio plerique ex proceribus regni, cum Rakocio Zolyomius ac Stephanus Betlenius junior, filius jam electi Principis, ubi, ut altera indicerentur Regni Comitia, cunctorumque denuò suffragiis Principatus submitteretur, cautum ab utrisque.

Non cessabat interim Rakocius promissis ac largitionibus suffragia potentiorum eblandiri, multis, quo certior esset promissi fides, chirographas trāsmittens. Principe interim Stephano Betlenio divinæ saltem providentiæ se committente, precibusque vacante.

SECTIO II.

INdicūtur itaq; (largitionibus ac promiſſis Rakocii multis jam occupatis) [1630] Generalia in civitatem Saxonicalem Seſpurgienſem regni Comitia; Princeps Stephanus Betlenius ipſe urbem ingreditur; Rakocius eventum rei Varadini præſtolans, majoribuſque ac majoribus in dies quoslibet, dum̃odò in partes ſuas pellecti ſibi ſuffragarentur, promiſſis obruens, per legatos cauſam ſuam agit. Rem ſemel concluſam, dubiæ multorum voluntati ſubmittendo, malè ſibi conſuluiſſe hic tandem ſentit Princeps Betlenius, verùm quoniam medendi nec tempus, nec modus ſuppetebat, promiſſis ſtare cogitur. Dum itaque ſuffragia de futuro colliguntur Principe, *Legatus Catharinæ Brandeburgicæ Principiſſæ, Joannes Keményius, univerſis, (ſi legantem ſpectes) dignitate præſtantior, ſententiam promere jubetur; qui à Principiſsâ, digni-*

gnitate Principali (ut ipsa prætendebat) per Stephanum Betlenium, clientesq; ejus exutâ, vicemq; pro vice reddere satagente, edoctus, multis cum laudibus commendatum Betlenio Rakocium præposuit; acclamatum continuò ab iis qui suffragia sua venundantes, promissis se opulentos somniabant, nec à reliquis in tanto illorum ardore contradictum.

Sic itaq; Princeps Stephanus Betlenius dum solis fidit Diis ac probitati, dignitate per proprios exutus filios, per legatos literasq; Rakocii juramentales, se pro patre ab eo honorari, nulliisq; unquam damnis ipsum suosq; affici, assecuratus, in propria secedere cogitur.

Quæ qualiter observata fuêre patebunt.

Læto hujus rei nuncio audito Princeps Rakocius, Varadino se movens, multis Magnatum ac Procerum, præcipuè verò eorum, qui pollicitationibus illecti libertatem suffragiorum

vendiderant, obviis, Albam Juliam properat, ibiq; juramento, quod certis sub conditionibus priùs Transylvaniæ Principes Statibus deponere, ac reciprocum ab iis juramentum ita tandem exigere solent, persoluto, amplis Zolyomium, tanquam præcipuum sui Principatûs authorem, bonis donat; StephanumBetlenium juniorem, ipsius pariter promotorem, ac itineris comitem, Zolyomioq; longè potentiorem, multis verborum honoribus laudatũ, cui par merito præmium à se minimè posse persolvi fatetur, bene de se sperare jubet, ex frequentia quoq; reliquorum expectantium, partim extemplò, partim successivè nonnullos bonis terrestribus donat, compluribus tamen præter vacuas imaginationes nihil domum reportantibus.

Congratulatur Principatui ejus novo [1631] *primùm per literas, mox ipsamet Principem Rakocium invisendo (miseratione sanè bonorum digna) Prin-*

Principissa Catharina Brandeburgica, ipsi, filiis, ac Principissæ, regalia offert munera, celebrantur inter se per dies complures convivia, & quo testatiorem erga domum Rakocianam syncerttatem suam redderet, filio Principis Rakocii, Sigismundo in filium adoptato, arcem Munkacsiensem, (quam tum Tokai & Fogaras arcibus ex legatione Principis Betlenii, decedentis mariti sui tenebat) sub certis, à Principeq; Rakocio ut placuit insertis conditionibus legat; Quas paucis elapsis mensibus, ab eadem violatas Princeps Rakocius prætendens, (Supremo arcis ejusdem Munkacsiensis Capitaneo Joannne Balling hæram excludente) occupat, consequenter, iteratum denuò cum misellâ, quo pacto contentari debeat iniens contractum, Fogarasinum adimit.

SECTIO III.

NEc Zolyomius [1632] à Principe Rakocio donatis diu frui potuit

tuit bonis, naturâ enim inquietissimus, secundam non potuit patienter ferre fortunam, abusúsq; favore Principis, qui eum, tàm Aulicis quàm Campestribus exercitibus Generalem præfecerat, selectissimos ex iis qui sibi subjecti erãt in exercitu Principis, milites clàm exauctoratos sibimet congregat, ultraq; privatum ipsius statum satis magnam eorum copiam ex flore totius Principis militiæ selectam circa se alit, nec deerant turbulentæ inter pocula voces, quandoq; relictâ patriâ, una cum proprio exercitu Suecis in Imperio bellum gerentibus se associaturum jactat, accedebant oppressiones vicinorum nobilium, quorum adempta præter jus & æquum bona, nec à Principe, nec à Regni Statibus admonitus reddere voluerat.

Hæc Principi Rakocio cognita, alioquin etiam ad suspiciones (sicuti omnium ferme Principum mos est) facilè prono, magnam peperêre sollicitudinem,

nem, quippe quem talia machinantem, nec pati tutũ, nec tot clientelis ac opibus fultum ulcisci facilè erat, verùm fata facilem invenêre viam, Stephano Betlenio juniore, Zolyomii cognato, eidemq; amicissimo, omnium quos Transylvanos tunc sol vidit, prudentiâ, magnanimitate, reiq; tam bellicæ quàm politicæ peritiâ, præstantiore, repentino è vivis morbo sublato, quo decedente animosiùs contra eũ Rakocio per leges regni animadvertere licuit, in Generalibus itaq; regni Comitiis convictus, Kôvarinum in captivitatẽ mittitur, ubi duodeviginti annis exactis, sepulcro libertatem obtinuit.

Proceribus regni, per quos sententia contra eum proferri debebat, quibus hæc omnia se distributurum Princeps Rakocius promiserat, ridiculè delusis, bona ipsius, tàm per Principem Rakocium collata, quàm hæreditaria, inter filios dicti Principis distributa.

Continuata post resignationẽ Prin-

cipa-

cipatûs ipsius, (tanquam inter patrem & filium) inter Stephanum Betlenium, Principemque Rakocium aliquandiu concordia, paulatim elanguescere, ac in apertas inimicitias prorumpere cepit, assentatoribus, quorum grege magnatum aulæ semper scatere solent, utriusq; suspiciones augentibus. Amicitiæ itaque ac viciniæ potentioris diffisus Stephanus Betlenius, relictis sub Procuratoribus Transylvanicis suis bonis, in partes Hungariæ viciniores secedit, filio unico superstite Comite Petro Betlenio (qui sejuncta possidebat bona) in Transylvaniâ relicto.

Sed fatalis inter eos discordia, subsequuturis tumultibus ac bellis, rebus minimis ansam prębentibus, ne sic quidem vitari potuit. Habebat enim dictus Comes Petrus Betlenius administratorem quendam bonorum suorũ, per quem defraudatus, dum rerum ab eo rationem exigit, depeculatoremq; deprehendit, repentinâ commotus irâ, bacel-

bacello graviter vulnerat, ex quo paucos post dies moritur. Principem Rakocium ac Stephanū Betlenium, audito hujus facinoris rumore, diversi movêre affectus; *Hic tanquam vir probitate insignis, inopinato filii casui vehementer indoluit, occisiq; juvenis senem patrem per viros honestos ac probos cum luculentâ contentatione reconciliare conatur.* Ille lætus arripit hanc contra familiam Betlenianam nocendi occasionem, celeriq; expedito tabellario, *longè majora occisi hominis seni patri (quæ tamen nunquam præstitit) promittendo, vetuit eum (qui alioquin jam assenserat) cum Comite Betlenio concordare; Et quo speciosior, Christianoque digna Principe hæc ejus actio videretur, innoxii se profusionem sanguinis non posse pati asserebat.* Demandatur per eum severè Vice Comitibus (sub quorum directione regio illa ubi dictus Comes residebat erat) *ne tanquam homicidam juxta constitutiones regni persequi*

qui differrent. Quo audito Stephanus Betlenius, [1636] intentione Principis Rakocii perspectâ, de saluteq; (nisi extrema experiretur) unici filii desperans, ipso è Transylvania clàm Ecsedinum (quam arcem in ditione Regis Hungariæ possidebat) evocato, ibidemq; relicto, Budam in ditionem Turcarum Imperatoris se confert, *de indignâ (ut prætendebat) suâ, suorumq;, imò totius regni oppressione apud Vezerium Budensem quærens, ad Ottomanicam quoque Portam expedit legatos, per quos fidelibus servitiis Gabrielis Betlenii fratris sui (jam fato functi) præmemoratis, suas ac regni Transylvaniæ afflictiones prolixis deflens verbis*, auxilia potentissimi Turcarum Imperatoris implorat. Nec fuêre preces irritæ. Magnatis cujusdam Transylvani Moysis Szekely (qui à dicto Principe Rakocio offensus, relictâ jam pridem patriâ, Constantinopolim se recipiens, Imperatoriam aulam contra

tra

tra eum incitare nitebatur) verba, cùm legationi huic summam astruerent fidem. Princeps quoq; Rakocius audito Stephani Betlenii (quem tanquam piũ & lenem, nunquam talia ausurum sibi persuadens, oportunum injuriæ crediderat) discessu, vehementer animo perturbatur, Comitia regni cogit ; *Ibi de discessu ejus (non sine lachrymis) queritur , quæcunq; is contra se acta prætenderet, Christiano Zelo, legibusq; regni obstrictum sefecisse asserens ; rogat insuper , tàm tributo, quàm armis justæ suæ causæ Regni Status deesse nolint* ; Obtinuit quod optabat. Missi sine morâ, qui honorificis verbis Betlenium, ut in patriam cum sufficienti securitate redeat hortarentur, Budam è primoribus regni Legati. Sed sine fructu.

Bellum enim Constantinopoli contra Rakocium erat denunciatum, Purpuratoq; Budensi, ut confestim Betlenium in Transylvaniam reduceret, armisq; Rakocium ejiceret, demandatum.

tum. Tentavit precibus ac promissis lenire Turcarum indignationem Rakocius, verùm ne auditi quidem legati. Movit itaq; Varadinum versus cum Betlenio Purpuratus Budensis, habuitq; juxta oppidum Szalonta, sub Generali Sigismundo Kornis, obviam partem exercitûs Rakociani, cum quà circa occasum solis congressus, multis utrinque cæsis, tragicum habuit pugnæ exitum, utrisq; tanquam victis, unde venerant ingenti cum pavore refugientibus. Recollecto Purpuratus Budensis exercitu, Lippam juxta castra metatur, Principe Rakocio cum exercitu Transylvanico juxta arcem Jeneiensem castra figente. Unde per legatos mutuo tractatu ex annuentiâ Ottomanicæ Portæ inito, tandem renovatum inter Principem Rakocium, Betleniumq; fœdus, redditaq; omnia eidem, suisq; bona, ita tamen, ut semper alter alteri diffideret, nec unquam usq; ad decessum alterutrius amicitia

inter eos coalescere posset.

SECTIO IV.

Sedato bello, potioribusq; regni proceribus, qui libertatibus ejus invigilare poterant, occulto Dei judicio intra exiguum temporis spatium fato functis, aliam opes suas Princeps Rakocius augendi ingreditur viam. Nonnullas per clientes suos in publicis Regni congregationibus, primâ quidem fronte salutares, sed (ut exitus docuit) reverâ exitiosas, quibus tàm nobilitas, quàm reliqui Regni Status irretiri possent, condit leges; Quo, quis aut externis possessionibus, aut ære opulentior, exitiosior. Nulla generalis, aut particularis Statuum congregatio, ubi Directorum, Advocatorũq; Fiscalium clamores non perstreperent, villis, possessionibus, prædiis, aliisq; bonis complurimi exuuntur, adeò ut (si cædes hominum eximas) Tiberii, Corneliiq; Taciti putes rediisse tempora; Nec leges

Ma-

Majestatis desunt, quibus nonnulli oppressi signanter (ut exemplum habeas) quidam ex proceribus Transylvaniæ, Gothardus Kún dictus, propter verbum contingenter prolatum damnatus, omnibusq; bonis exutus, in carcere vitam finiit, nullâ sub quovis prætextu convictos, spe clementiæ Principis alente. Adjudicata per tot ambages Fisco bona, filiis conjugiq; per Principem donantur. Potioribus, fructuosioribusq; regni partibus, talibus compendiis occupatis, regnum quod per electionem obtinuerat, in hæreditarium, (imò patrimonium) vertere allaborat. Admovet etiam manus summæ, quam satis grandem, partim in erectionem Collegii Albani, partim ad extraordinarias Regni necessitates sublevandas Princeps Betlenius legaverat.

Quibusdam (è converso) Ecclesiasticorũ, à Principe Betlenio ordinatos proventus annuatim subministrans, imò nonnullis augens, Templa quoq; non

non pauca temporum injuria deſolata reædificat, quod per compendium Eccleſię ademerat, partim reſtituiſſe viſus.

Tandem ad majora externaq; animum erigit, [1644.] federe per occultos internuncios cum Suecis, contra Imperatorem Romanorum in Imperio bellum gerentibus inito, bellum Hungariam ac illinc Moraviam verſus movet, Cæſarianis inſtantibus ſemper cedens, retrocedentium rurſus terga per anteceſſores ſuos indeſinẽter laceſſens, protractoq; hoc aſtu per complures menſes bello, tandem in Moraviâ Suecis, qui ſub Campimarſchallo Leonhardo Torſtẽzonio obſidioni Brinnienſi inſudabant, appropinquat; ipſe juxta fluvium Hungariæ Moraviæq; conterminũ, cum mole exercitûs ſubſiſtens, filium Sigiſmundum cum flore totius exercitûs, tormentiſq; prægrandibus, ad expugnandam (una cum Suecis) Brinnam mittit, magnaq; muri parte vi tormentorum funditùs convulsâ,

vulsâ, vehemens quidẽ, sed multis Hungarorum, paucioribus Suecorũ, sclopetorum procellâ obrutis, Commendante urbis Zuza dexterrimè rem gerente, incassum tentatus insultus. Suecis tandem ibi relictis, ab Imperatore majoribus Imperii negotiis occupato, pro se filiisq; suis arces Tokai, ac Regecz; pro Reformatis (sive Evangelicis) certorum templorum restitutionẽ facilè obtinet, confectoq; præter suam & omnium opinionem tam facilè bello, in Transylvaniam redit, ubi filius ejusdem nominis jampridem in successorẽ electus, solitoq; more inauguratus, interea Regni habenis præsuerat. Ne tamen [1646] alternantis fortunæ vices experiri desineret, novæ à Portâ Ottomanicâ confestim sunt subsequutæ difficultates; Ut non ampliùs decem, sed quindecim millia numorum aureorum annuatim pro regno penderet, eadem non sine minis imperante, cùm tantam semper antecessores Transylvaniæ

vaniæ Principes (præter unicum Gabrielem Betleniũ, cui propter fideliſſima obſequia quinque iſta millia relaxata fuiſſent) perſolviſſe aſſereret, Exigua erat quæ jubebatur ſumma, ſe tamen (vel ab univerſis regni Statibus exoratus) nunquam perſoluturum per Sanctam Trinitatem jurat, unde apertæ jam Turcarum comminationes, detenti ejus legati, bellumq́; cathegoricè (non regno ſed Principi Rakocio) denunciatum, nec ultio longè dilata fuiſſet, niſi Amuratem crudeliſſimum Turcarum Imperatorem, [1647] expugnationi prius Babylonis intentum, ingentique cum faſtu victrices copias Conſtantinopolim reducentem, ſingulari Dei bonitate præter omnium opinionem mors præpropera rapuiſſet.

SECTIO V.

Mutato Imperatore, retepuit paululùm conceptus contra Principem Rakocium furor, de Ottomanica

tamen ipse diffidens clementiâ, Suecorum denuò, aliorumq; Christianorum principum fulcire se nititur confederatione: Expeditusq; ad eam tractandã ab eo Michaël Mikes, Vice Capitaneus, dum Poloniam transire festinat, Vladislai Poloniæ Regis decessu audito, sive (ut asserebat) à plerisq; nec infimæ sortis Polonis persuasus, sive neminem qui defuncto Regi succederet Principe Rakocio digniorem sibimet imaginatus, commisso ipsi negotio interrupto, ad eum per quem missus erat, redit; *A Joanne Casimiro defuncti Regis fratre, munerisq; ejus competitore, universos regni Status alienos, ipsi verò adeò faventes, ut exoratus veriùs, quàm admissus dici foret, refert, ne itaque fortunæ amplexus offerenti desit, hortatur.* Exhilaratur ille, de Principatu ob furorem Turcarum nonnihil anxius, sublimius honoris fastigium divinitùs sibi destinatum credens; Nec in re tanti momenti, operæ aut sumptibus parcen-

cendum censet; Franciscus itaq; Betlenius Comes Comitatus Albensis, Supremus Aulæ Marschalchus ac Regni Consiliarius, cum grandi ad redimenda Magnatum suffragia argenti summâ Varsaviam ab eo mittitur, qui potiori pecuniæ parte incassum profusâ, à Repub. Polonâ, dum exaudiri laborat, lethali Principem Rakocium correptum morbo audit, interrupto itaque labore, regreditur. Invenit exanime Principis sui corpus, qui regno ab externi hostis populatione intacto relicto, in humanis esse desiit, [1648] insigniq; à filiis ac uxore pompâ in primario Reformatorum (sive Evangelicorum) templo Albæ Juliæ tumulatur.

LIBER SECVNDVS.

BREVIARIVM LIBRI SECVNDI.

Georgio Rakocio seniore è vivis sublato, 1648. filio ejusdē nōinis vivēte adhuc


patre electus, succedit, qui nulla fermè bona Nobilibus Trãsylvanicis adimit, adẽpta tamen per patrẽ nemini restituit, Ottomanicæ Portæ reconciliatur. Basilium Moldaviæ Principem sede principali exturbat, Stephanũ quendam ejus Cancellariũ substituit, qui ab Ottomanicâ Portâ confirmatur. Constantino Valachiæ Transalpinæ Prinsipi confederato suo, cõtra Szemenios, stipendiarios ipsiusmet pedites, (sed per quos captivatus erat) opem fert, iisq; profligatis, restituit. Annuo ab utrisq; tributo honoratur. Bellum Poloniæ infert, Cracoviam, Bristiam occupat. Regreditur. Pacem (sed coactus) cum iis facit. Exercitu in Podoliâ (qui totus à Chamo Tartarorum captus aut cæsus) cum Joanne Kemenyio, Supremo suo Generali relicto, cum paucis fugâ domum se recipit. Propter bellũ Polonicum ab Ottomanicâ Portâ damnatur. Principatui sub certis conditionibus renunciat. Franciscus Redei in Principem eligitur, quem Princeps Rakocius opprimit. Principatum recuperat. Purpuratũ

Bu-

Budensem profligat. Chamus Tartarorum Transylvaniam populatur, urit. Supremus Vezerius arcem Jenciensem deditione capit. Barcsaium Principem constituit. Rakocius factione multorum suffultus Transylvaniam recuperat, Barcsaium persequitur. Qui Temesvarinum ad Turcas se confert. Isdem per Constantinum quendam exulem Valachiæ Principem Moldaviam occupat, sed rejicitur. Cum Mihne Valachiæ Transalpinæ Principe fœdus contra Turcas init, auxiliaq; eidem mittit, sed incassum. Apud locum (qui Porta ferrea antiquis) pugnam cum Szeidi Ambet-Purpurato Budensi, qui Barcsaium ex mandato Portæ Ottomanicæ restituere nitebatur, init, sed profligatur. Retrocedente dicto Purpurato, Barcsaioq; civitatem Saxonicalem Cibiniensem ingresso, urbē obsidione sat longâ fatigat, sed sine fructu. Superveniente denuò Szejdio, inter civitatē Claudiopolim, arcemq; Gyalu, fortissimè contra eum pugnat, sed lethaliter vulneratus, paucos post dies Varadini humanis

exemptus eſt. Geſta hæc annis duodecim.

SECTIO I.



Ilius Georgii Rakocii Senioris, ejuſdem nominis, jampridem in Principem electus, ſolitoq; more inauguratus, in Principatu ſuccedit, qui auſteritate tenacitateq; patris univerſos offenſos probè ſciens, (agente adhuc in vivis eo) multos muneribus, plures promiſſis delinitos, meliori de ſe ſpe impleverat, applaudebant quocirca cuncti regimini ipſius. Verùm nihil à quopiam ſe ademturum promittens, ademptas per genitorem aliis poſſeſſiones, ipſiq; ac germano ſuo fratri Sigiſmundo, nec non matri eorundem diſtributas, inſigni cum meliora ſperantium dolore nemini reſtituit. Stabiliendo tamen Principatui ſuo dextrè providebat, Purpuratorum enim Turcicorũ animis ingentibus placatis muneribus, per eos Ottomanicam Portam reconciliare non

præ-

prætermittit; Tributũ quindecim millium aureorum, quod per tres annos genitor ipsius persolvere neglexerat, (regalibus superadditis muneribus) sine tergiversatione persolvit.

Reconciliata itaq; Porta, tutaq; (saltem quiescere potuisset) fuêre illinc omnia. Blandiente quinpotiùs ampliùs fortunâ, supra prædecessorum Principum gloriam, ac opes, feliciter cuncta tàm domi quàm foris ipsi affluxêre. Valachiæ Transalpinę ac Moldaviæ Principibus annuum pendere non erubescentibus tributum, legationibusq; cunctorum fermè Principum Christianorum eundẽ fatigantibus. Tot obsequiis fortunæ delinitus Princeps, vix secundam poterat temperanter ferre fortunam, quin potiùs compotationibus ac luxu tota personabat ejus aula.

Dissensio interim [1653] inter Rakocium ac Basilium Moldaviæ Principem occultas ob causas orta, in apertum erupit belli incendium; Missoq;

 dictus

dictus Princeps cum certa exercitûs parte Joanne Kemenyio, Supremo suo Generali, eum exturbat, qui à Kozacis (olim Coronę Polonicę subjectis, nunc autem rebellibus) adjutus, Joannem Kemenyium ejicit, regnum recuperat. Ampliori sub Stephano Petkio Generali suo denuò exercitu misso, reparat bellum Rakocius, profligatoq; ac fuga elapso Basilio, auxiliares Kozacorum copias, juxta arcem *Szucsva* obsessas, una cum arce fame ad deditionem cogit, thesauroque Basilii grandi potitus, Cancellarium ipsius (Stephanum nomine) regno præficit, qui pręter omnium opinionem, (ingenti summa Portæ Ottomanicæ persolutâ) in *Principatu* confirmatur.

Rebellio præterea Szemeniorum (hi sunt ex natione Tracum collecti pedites, audax & expeditum, verùm inconstans ac seditiosum militiæ genus) contra Principem Valachię Transalpinæ (proprium eorum dominum)

con-

confederatum Rakocii orta, àluxu ad bellum eum avocavit, qui (raro exemplo) proceribus regni compluribus occiſis, eorumq; bonis expilatis, ærario quoq; Principis proprii nefarias injicere manus, prædâq; per ſcelus partâ ditati, ipſo Principe in vincula conjecto, quendam è primoribus invitum coëgêre regimen ſuſcipere.

Tanti facinoris rumore ad Rakocium perlato, extemplò cogit copias, nefariumq; ſcelus ulturus ingreditur Tranſalpinam. Elabitur interea à cuſtodiâ Szemeniorũ captivus Valachiæ Tranſalpinæ Princeps Conſtantinus, paucoſq; poſt dies (profligatis tamen priùs ut patebit Szemeniis,) incolumis ad Rakocium pervenit. Szemenii, aſſeclæq; eorum, audito Rakocii in regnũ ingreſſu [1655] ex improviſo cum in caſtris incautum aggredi ſtatuunt, vitatiſq; anteceſſoribus Rakocianis, dormiente circa meridiẽ in tentorio (juxta oppidum Ploeſt) Principe, ab excubiis

priùs visi quàm auditi, paratam quocirca Szemenii in manibus videbantur habere victoriam, nisi vino omnes obruti phrenetizarent veriùs, quàm more militari pugnam capesserent, resistentibus itaq; nonnullis cohortibus, reliquis ad pugnam se parandi tempus datum, quibus supervenientibus, colluvies ista barbarorum, instar pecudum sine labore mactata, captus etiam ac palo insutus pseudoprinceps ab iis impositus, Princeps Moldaviæ Stephanus, Constantinum secum ducens, (qui ex captivitate Szemeniorum elapsus ad eum se receperat) sequenti post pugnam die cum auxiliaribus supervenit copiis. Serũ si hostibus arrisisset fortuna auxiliũ.

SECTIO II.

Constantinum Valachiæ Transalpinæ à se tunc restitutum, Stephanumque Moldaviæ Principes lætis per complures dies cõviviis excipit. Rakocius, nec verba cjus jactantiæ plena, de-

missæ ex adverso convivarum Principum sui oblationes inter compotationes desunt, quibus tandem exactis redit in Transylvaniam, arridente fortunâ paulo altiores reportans spiritus Rakocius.

Ne tamen fortuna (sui similis) læta tristibus miscere prætermitteret. Ante triumphum dicti Principis Transalpiñ. Illustrissimus Comes Sigismundus Rakocius, germanus ejus frater, qui è Serenissimorum Reni Palatinorum familiâ, Henriettam, nonullos ante menses uxorem duxerat, eadem paucos post nuptiarum dies decedente, ipse quoq; variolorum morbo correptus, ingenti çum bonorum dolore, juvenis magnanimus, sapiens, magnæq; meritò capax fortunæ in humanis esse desiit.

Bellum interim inter Polonos, aç Chamum Tartarorum Præcopitarum Principem, ipsiq; contra proprium Regem ac Dominum adhærentes Kozakos ortū, famam nominis sui illustrio-

rem reddendi, ſingularem Rakocio præbuit occaſionē, rumore enim iſtius ad eum perlato, ſelectorum è ſtipendiariis ſuis equitum aliquot millia per legatum JoannēBetleniūRegi acRegno Poloniæ non rogatus offert; grata erat, imminente tunc maximè hoſte, hæc ipſius promptitudo, relictiq; ſub Commendante Michaële Mikes in caſtris Poloniçis Hungari, confecto tandem bello non indonati redière. Franciſcus præterea Principis Rakocii filius, compluresq; è Magnatibus Tranſylvanicis Polonicæ Nobilitatis albo inſerti.

Gliſcebant interim, turbantibus cuncta rebellibus Kozacis, à finibus autem Pruſciæ Suecis irrumpentibus, denuò in Poloniâ bella, auxilium ac ſocietatem armorum Rakocii utriſque ambientibus, ſed prælata ab ipſo Suecorum ac Kozacorum amicitia omnem præſtiti antea erga Polonos officii memoriam obliteravit.

Cujus ut belli origo lectorem eo mi-

nus fugiat, res paulò altiùs repetenda. Georgio Rakocio ſeniore, (quem regnum Poloniæ ambientem, mors inopina rapuerat) non mediocres ad faſtigium regiminis Polonici ſe accingentem, feciſſe apparatus, certum eſt, qui ad filium ejus translati, deſiderium quoque regni pectori ejus infudêre, quod tamen occaſionibus deſtitutum neceſſitas celare coëgit.

Suecicis Kozakicisq; tumultibus (ut præmiſſum) interea in Poloniâ gliſcentibus, legatus Albertus Pramorſki, Referendarius tunc Sereniſſimæ Reipub. Polonæ, nunc Supremus Cancellarius, certam in ſubſidium ejuſdem ſummam à Principe Rakocio petens, nomine Sereniſſimi Regis adoptionem filio ipſius ſub certis offert conditionibus de quo dum inter partes cõveniri nequiviſſet, invitatum ac tandem deluſum ſe expoſtulans Princeps Rakocius, armis illatã (ut prætendebat) injuriã ulciſci decrevit. Accingit itaq; ad bellum ſe [1657.]

Poloniçum. Quod tamen nec Chamũ Tartarorum,qui ex hoste amicus Polonorum factus erat, nec Ottomanicam Portam latere potuit, prohibitoriæ ab utrisq; extemplò missæ literæ,sed contemptæ,iterata limites jam Poloniæ ingresso,nisi reditum maturaret, atrocibus superadditis minis, denuò mandata,sed cum fastu rejecta. Nec Sacratissima Romanorum Imperatoria Majestas per Reverendissimum Dominum Georgium Szelepcseni Regni Hungariæ Cancellarium, ac Episcopum Nitriensem, (antequam ad extrema esset deventum) semet interponere dedignata est,verùm trahebat j m suum fatũ Principem maturabatq;. Obstinatus Itaq; adjunctis Kozacis ac Suecis longè latèq; diu grassatus,tradentibus Suecis Cracoviam occupat, præsidioq; satis grandi (sub Commendante Joanne Betlenio)munit, Bristiã deditione captam Andreæ Gaudi Colonello suo custodiendam tradit,qui soli mirabili Dei

pro-

providentiâ, è publicâ quasi clade sepositi, confectâ tandem pace, reliquis per Tartaros cæsis aut captis incolumes dimissi in Transylvaniam rediêre.

Ulteriùs de cætero progressus, confederatis ejus tanquam cautioribus ad tutiora regressis, solus cū suis relictus, diuq; per loca deserta ac avia oberrans, toto fermè exercitu fame cōfecto, circumvolantibus Polonis, juxta præscriptas ab ipsis conditiones, [1658] ingenti sub juramento promissâ summâ (quam tamen, violatum à Polonis contractum prætendens, hactenus nō persolvit) obsidibusq; Stephano Apafio ac Georgio Gerôfio Primatibus Transylvanicis relictis, pacem facere cogitur.

SECTIO III.

IMminentis præterea cum toto suorum robore, Tartarorum Chami rumore perterritus, in Podoliâ relicto cum exercitu Joanne Kemenyio Supremo suo Generali, cum trecentorū circiter

citer comitivâ, continuato per complures dies itinere, Maramarosinum (provinciam regno Transylvaniæ unitam) tandémq; Ecsedinum (ubi conjunx filiúsq; ejus erant) inglorius redit. Exercitus verò cum Joanne Kemenyio relictus ab innumerâ Tartarorum multitudine circumventus, quamvis (si numerum Tartarorum spectes) adeò exilis, ut cum decem, imò pluribus uni pugnandum esset, faméq; vehementer laboraret, fortiter tamen primo die impetum Tartarorum sustinuit, sequenti verò, dum ab hoste pugna reparatur, Szemeniis, quorum nonnullas cohortes inter stipendiarios Rakocius aluerat, stationem suam non solùm deserentibus, imò apertè ad hostes transfugiendo, locum irrumpendi præbentibus, universis cæsis aut captis, profligatus. Szemenii quoq; pariter in captivitatem asserti, digno proditionis præmio donati.

Expeditionẽ ejus infaustam fore, indubi-

dubitata, eáq; complura signa prodiderant. Maramarosinum enim (Transylvaniæ provinciam Poloniæ regno conterminam) ipso cum exercitu ingresso, (qualia mense Januario in iis locis fieri solent & hactenus duraverant) frigora in largas versa pluvias, ipsummet Principem cum parte exercitûs ad speculandum iter prægressum, per integros sex dies nec ipso regredi, nec reliquis subsequi valentibus à toto secluserant exercitu. Quo tandem ingenti cum hominum ac pecorum ruinâ junctus, immensæ in alpe, qua transeundum erat, nives, adeò occlusêre iter, ut plaustra vix ingenti cum labore ergatarum beneficio transportarentur, ipsâ naturâ, ne in exitium rueret, retrahente eum. Poloniam ingressus, gravissimo per complures septimanas vexatus est morbo. Generosioribus equis, quos in deliciis alebat, (nullo antea morbi indicio viso) decẽ selectioribus per eos dies morbò absumptis. Cracoviã (traden-

dentibus Suecis) insigni cum pompâ ingressus, dum (solium quasi occupaturus) palatia regia adiit, ex equo descendendo, eliso ê capite pileo, non sine stupore circumstantium cecidit supinus. Non procul à civitate Zavicost, dum dictus Princeps Regi Succiæ militari cum solennitate conjungitur, in loco plano, nec tales casus ordinariè metuendo, carpento ambo insidentes subversi, non diu eos in Poloniâ duraturos ab utrisq; exercitibus judicati sunt. Nec plura, sed minoris momenti deerant portenta, quæ prolixitatis vitandæ gratiâ prætermittimus. Sed divinæ providentiæ fatalis dispositio nec agnosci, nec vitari ab eo poterat.

Rakocius nec animo nec corpore satis sanus paucos post dies Szamosujvarinum ingressus, Generalia regni Statibus Comitia indicit. *Congregantur quæ supererant eorum reliquiæ, ut tot miserorum, quorum captivitatis (non necessarium suscipiendo bellum) causa exti-*

extitisset misereretur, thesaurumque in Transylvaniâ congestum, pro iis quorum ope congesserat, effundere non dubitaret, ac insuper Ottomanicæ Portæ furorem, ulterius contra eum sævire volentis, nullis sumptibus parcendo lenire satageret, orabatur. Sed ne tot quidem malis edoctus, obstinatum poterat mutare animum, Deo fatalem Transylvanos & eum puniendi accelerante periodum. *Se ad utrumque negotium ultra triginta millia imperialium non habere juramento confirmat.* Sponte ante biduum Regni Statibus promissam libertatis restitutionem revocare ac denegare non erubescit. Cum stupore hæc cernentibus cunctis, adeoque offensis, ut non finitis solito more Comitiis, nec valedicto ut mos aliàs erat Principe, dilaberentur universi. Superveniunt paucos post dies cum mandatis Imperatoris Turcici, propriâ manu subscriptis, literis prętereaChami Tartarorum ac Supremi Portæ & Budensis Purpu-

Purpuratorum, legati, quibus unanimis erat continentia, imperatumque Statibus regni, *ut in locum Principis Rakocii, propter rebellionem ac inobedientiam suam metumq; contra Polonos Ottomanicæ Portæ amicos bellum damnati, alium patrio ritu eligerent, cujus confirmatio (nullo superimposito onere) promittebatur. Superaddita interim, nisi parerent, atroces minæ, extremaque pericula.*

SECTIO IV.

MOvêre hæc obſtinatum Rakocii Principis animum, cum imbecillitatis ſuæ (ſi molem illam Turcicam æquipares) probè conſcius, armis ſe regnum manu tenere poſſe diffideret; Comitia itaq; regni Statibus Albam Juliam indicit, cedit ſponte regno, in eamque eodem annuente itur ſententiam, ut alius eligatur Princeps, pro ipſo interim in Ottomanicâ Portâ intercedatur, ubi veniâ impetratâ, re-

cens

cens tunc electus Princeps Franciscus Redei, vir pius, mitis, omniumque judicio reliquis regni Magnatibus hoc honore dignior, ad pristinum redeat parendi statum. Interim dum sententia Portæ expectatur, Princeps Rakocius in bonis sibi vi pactorum concessis, tanquam privatus vivat, directioni regni se minimè immisceat, neq; titulum Principis usurpet, omnibus principatûs exercitiis in Franciscum Redei translatis; hæc omnia verbo suo Principali, sub bonaque fide Christianâ observaturum, literis chirographo & sigillo solito munitis, quæ in Capitulo Albensi Transylvaniæ extant, se obstringit Princeps Rakocius; Statibus quoq; regni, pactis se staturos, eodem modo spondentibus. Dissolutis Comitiis, dictoq; Principe Rakocio in privata sua bona secedente, promovendis ejus negotiis, extraordinarius ad Ottomanicam Portam legatus, Franciscus Kereszteſi destinatur.

Mitti-

Mittitur etiam eodem de negotio ad purpuratum Budenſem Sigiſmundus Banffi, utrique vix auditi incaſſum laboravêre. *Interea recens electus Princeps Franciſcus Redei, præſidiarios in arcibus regni finitimis, Fiſcalibusque, quæ vi pactorum Principi Rakocio datæ non erant, imò iis ſe ceſſurum obſtrictus erat, in nomen regnicolarum ſuumque jurare mandat, ne vel reconciliatâ Portâ Ottomanicâ, ipſi abſque conſenſu regnicolarum, ſed cum iisdem ad obſequium Principis Rakocii redeant, juramenti formulæ inſerens*; Qui tamen inſtigante Principe Rakocio, contraq; pacta id fieri prætendente, juramentum præſtare recuſarunt, Franciſco Gyulai Vice Capitaneo Varadienſi, non nativo, nec per Articulos regni patriæ inſito homine, præterque leges huic muneri præpoſito, rebellionis ante alios authore. Sequitur authoritatem ejus, una cum ſibi ſubjectis Vice Capitaneus Boros Jeneień Ladislaus Ujlaki, de quibus

bus paulò uberiùs dicendum. Dum mandatis Ottomanicæ Portæ, de amovendo Rakocio, non confestim parent Status, & quamvis novo Principe Francisco Redei electo obediisse viderentur, interim tamen reconciliationem ac restitutionem Principis Rakocii urgent, primùm à Purpurato Budensi, consequenter à supremo etiam Vezerio arx Jenô præter omnium spem postulari incipit. Lætus arripit occasionem Princeps Rakocius, auxilium itaque & defensionem contra vim Turcarum ipsis promittit, vitamque ac mortem cum iis conjunctam se habiturum jurat, quibus infœlicissimi persuasi, ab obsequio regni recedentes, juramentum præstare neglexerunt.

Consequenter Szamosujvarieñ quoq; Capitaneus Georgius Banffi, juramento se Rakocio devinctum prætendens, (quasi Principatui sub certis conditionibus renunciante Rakocio, juramentum tàm ipsius, quàm reliquorum non esset deter-

determinatum & suspensum) jurare renuit.

Princeps etiam Rakocius, quia nulla de juramento à præsidiariis, sub prædictorum nomine recens exigendo specifica in contractu facta fuisset mentio, violatum à Statibus regni pactum, nullisq; amplius se conditionibus obstrictum prætendens, titulum Principis confestim usurpare cœpit. Contra, Regnicolæ non à se, novoq; Principe, sed à Rakocio violatum contractum talibus argumentis asserebant. Licet enim expressè vi pactorum cautum esset, Principem Rakocium omnes finitimas Fiscalesq; arces, sibi non concessas, manibus regni ac novi Principis resignare debere, nunquam tamen id ipsum præstitisse, sub suâ quin potiùs directione semper reservatas à juramento novo Principi, Regnoq; præstando arcuisse, quamvis directioni omni cessisset, solamq; futuram Turcicam gratiam, exindeq; postliminio redituram suam dignitatem reservasset. Et licet juramenti

ti formulæ (quod præsidiarii præstare debebant) insertum esset, etiam si Ottomanica Porta Principi Rakocio reconciliata fuerit, ipsis non sejunctim, sed cum toto regno ad obsequium ejus redire licere, minimè tamen exinde violatum esse contractum, cum integrum regni corpus, non autem distinctim membra ejus contractum inierint, ejus itaq; esset initi cum ipso pacti memorem & effectuatorem esse. Alioquin ab omnibus electus Princeps à singulis abdicaretur, & de contractu ab universis inito, à singulis judicaretur, unde quantæ enormitates? quæ fraudes?

SECTIO V.

TUrbatis itaq; jam rebus, contractuq; ab alterutrâ parte manifestè violato, *Princeps Rakocius ad omnes Status, Comitatus, Sedes Siculicales, Saxonicalesq;, ac Civitates, ut Princeps, scribit, ut sibi legitimo eorum Principi pareant, armaque adversus Otto-*

manicam portam, (contra quam sufficientia se habere media asserit) suscipiant, imperat. Quibus auditis, electus Princeps Franciscus Redei Generalia regni Comitia in civitatem Saxonicalem Medgyes indicit, quæ tumultibus plena futura, quolibet facilè prævidente, electus Princeps ac Consiliarii, ut armatâ manu, ac præsidio sufficienti fulti Comitia adirent, à plerisque monebantur; Verùm cum boni publici amorem, Statuumque regni in eo consensum, contra tales tumultus sufficiens putarent esse præsidium, bona freti conscientia, Divinæq; providentiæ exitum rei committentes, ne contra pacta fecisse meritò argui possent, ad statutum ingrediuntur diem.

Jam factionibus totum laborabat regnum, Magnates, Proceres, reliquique Status inter se diffidentes, quidam huic, alii alteri è duobus principibus favebant, plures exitium regni prævidentes, insciique quid agerent, taciti

mœre-

mœrebant, perculſis regnicolarũ animis, ſtatuitur tamen ab univerſis, *contra pacta feciſſe Principem Rakocium, nec admittendum, nec jam regnicolas pactis ac juramento ulteriùs teneri*: *demonſtrantur itaque per literas exceſſus, & maximè quòd non ſolùm pactum nuper cum Statibus regni initum violaſſet, verùm univerſos contra Ottomanicam Portam (à quâ regnum minimè avulſurum in primordio regiminis juraverat) ad arma ciendo, contra juramentum quoque tempore inaugurationis præſtitum feciſſet*. Quæ Dionyſio Banffi (uni è Primatibus regni) perferendæ traduntur, ut à ceptis deſiſteret, potentiſſimamque Turcarum nationem ad excidium ſuum, & regni, ne provocaret, admonentes.

Rediit legatus incaſſum perfecto itinere, *promiſſa varia, ſi recipiatur, ſin minus, varias minas, imo exitium regni Statibus reportans. Offerebat inter cætera Princeps Rakocius, ſi ipſo rece-*

pto, hostis Transylvaniam ingrediatur, in publicâ regnicolarum congregatione flexis genibus, eo quo Statibus placuerit mortis genere oppetere se paratum, cujus promissi nulla vel apud infimos fides; Quin potiùs Sedibus Siculicalibus (in quibus præcipuum Transylvanicæ militiæ robur) ut in succursum armati extemplò adessent, imperatum; Sedibus Siculicalibus Udvarhely, Marus, & Aranyas, tepidiùs quàm necessitas, angustiæque temporum flagitabant, obtemperantibus, & ad subveniendũ paratis. Sedibus verò Siculicalibus Csik, cum filialibus, ac Sepsi, Kezdi, & Orbai, in Rakocium magis pronis, ob idque jussa detractantibus; Præcipuis (cum quibusdam) Clemente ac Georgio Mikes, istius scissionis authoribus. Congregatis quinimò Georgius Mikes noñullis, insciis invitisq; iis, quos in istis regionibus patriæ ac quietis amantes rebatur, communi istarum Sedium no-

mine

mine clam literas ad Rakocium perſcribit, ad occupandum principatum hortatur, auxiliatriceſque iſtarum Sedium copias ad rem perficiendam offert, quarum literarum ipſemet lator, propenſiſſimum ergaPrincipemRakocium ipſorum ſtudium prolixè commendat,animatq; adhuc dubitantem, utrum mediocribus copiis(qualestunc habebat) rem tanti momenti aggredi præſumeret; Satis itaq; jam animatus, tepideque regni Status rebus propriis conſulere perſpiciens, Medgyeſinum ex inopinato aggredi, Statuſq; cum electo Principe omni auxilio deſtitutos armis ſibi ſubjicere decernit.Regnicolæ ex adverſo arctiores indies res, nullamq; ſubſidiorum ſpem cernentes,iteratam cum promiſſis ſat luculentis ad Principem Rakocium deſtinant legationem, eandemque perficiendam Acatio Barcsai, tunc regni Præſidi, mox autem (ut inferius patebit) Principi, commendant, ſed duriore exitu; *Re-*

tentis enim contra omne jus gentium Princeps Rakocius legatis, contra regni Status illuc congregatos Medgyesinum celeriter ducit exercitum , nocteque supervenit ; Inter cætera, liberam in Comitiis suffragandi facultatem à Statibus ademptam quærens ; Quasi verò libertas suffragiorum sub armis potiùs quàm remoto eorum metu fieri posset. Omnibus qui machinationes istas improbaverant præsentissimum erat exitium, & quoniam resistere non poterant, *legatione in campum missâ, in urbem eum recepêre , ita tamen , ut nunquam se contra Ottomanicam Portam arma laturos apertè declararent ;* Lætus accipit ille conditionem, amnistiâque rebus retroactis datâ, Principem nuper electum Franciscum Redei, priùs tamen, ampliùs vel Ottomanicâ Portâ jubente Principatum minimè subiturum, juramento obstrictum, in propria bona incolumem dimittit.

SECTIO

SECTIO VI.

HÆc in Portâ Ottomanicâ audita, regnum Transylvaniæ hactenus innocuum existimatum, in partes admissæ cum Rakocio culpæ traxêre, iramq; antea contra Principem solum conceptam non lenivêre, sed in suam & totius regni perniciem maturavêre. *Novi itaque à Budensi ac Temesvariensi Purpuratis legati, nova missa litera, ostenditur admissa culpa, regni Statibus Principem Rakocium, tanquam rebellem, contraque voluntatem Ottomanicæ Portæ receptum deserere imperatur, nisi obedierint adduntur minæ, extremumque regni exitium.* Perterritus his Princeps Rakocius, comitia denuò Albam Juliam indicit, ubi nihil de summâ rei conclusum, hoc unicum memoratu dignum actum: *Offert se Princeps Rakocius, si Porta Ottomanica literas fidejussorias (Athname ipsis dictas) de non augendo annuo tributo, non*

occupandis regni limitibus, conservandisq; ejusdem libertatibus, juxta Athname Sultani Sulimanni, dederit, valedicto principatu, in privatum se redigere statum paratum esse, jubereque ut conformes eâ de re prædictis Purpuratis transmitterentur literæ. Improbatum tacitè à cunctis, sed ne hiscere quidem audentibus. Missæ literæ iram in furorem, non gratiam, vertêre Interea Princeps Rakocius Michaëlem Mikes (quem Cancellariatûs munere ornaverat) cum secretis ad Regem Hungariæ mandatis mittit, qui ut à regnicolis quoque pro legato agnoscatur, literasque ferat credentionales, optat, nec obtinet.

Sub iisdem Comitiis appulerunt ex vinculis Crimensibus à Joanne Keményo ad Status regni literæ per Reverendum Stephanum Sellyei ex captivitate fide jubente se solutum, ac servitorem ejusdem Petrum Szigeti latæ, *quæ de apparatu minisque Tartarorum regni-*

regnicolas præmonebant, secretiora verò (quæ certissima fuisse eventus docuit) oretenus referenda mandaverat, Principem ipsum ne regnum funditùs everteret, hortabatur. Relata hæc cuncta per eos Principi, verùm quia regno, non verò ipsi consultum videbatur, severissimis minis additis tacere jussi, sicuti Petrus Szigeti paucis post mensibus coram plurimis testatus est. Ne his quidem desierunt Turcæ regni Status (Principe Rakocio trahente) ad exitium proprium obstinatos, futuri præmonere periculi.

Congregabantur interim movebanturque in perniciem deplorandæ Transylvaniæ, ex universa ferè Europa Asiaque exercitus, sed nec tantæ molis indubitatus rumor, ut caducæ renũciando dignitati, tot Christianorum millibus per & propter ipsum perituris consuleret, Principem Rakocium movere potuit, quin potiùs non solùm à regnicolis, verùm ipsis etiam Consiliariis,

mirabili per principem industriâ, cuncta hæc celabantur. Generalia ultimumque ferè patriæ excidium præcedanea denuò Comitia per ipsum indicuntur, *causa Comitiorum adventus Tartarici, Budensisque legatorum, qui ex superabundanti, quamvis obstinatis, priùs gratiam, quàm pœnam offerebant, erat, experiri præterea Princeps ipse, utrum regnicolæ armà contra Ottomanicam Portam secum sumpturi essent, avebat. Verum impares se ad gerendum contra Turcas bellum, & (quia ita Deo visum esset) jugum potiùs, licet grave, se subituros, quàm arma moturos declarant universi, quin potiùs ut regno cedere, quàm se ac universos in extremam velit præcipitare perniciem, demissè orant. Promittit se recessurum Princeps Rakocius,* (pro cessione recessum usurpans,) receditque (non renunciat) in partes regni Turcis viciniores ac instructo cum exercitu versus arcem Jenő, illinc septem equitum, & duo millia peditum,

tum, [1658] tormentaque campestria octo secum habens, Budensis purpurati castra versus, quæ quinque Hungaricis distabant milliaribus, properat. Purpuratus verò Budensis (Chinan Passa) homo mollis, nec ad arma natus, nihilque ea de re ut Rakocius eum invadere præsumeret, cogitans, vix tertia militum sibi subjectorum parte in castris præsente, Purpurato verò Temesvariensi (ut qui vir militaris ipsum floccipenderet) cum toto suorum robore absente, non satis instructas habebat copias, quem ultra quinque millia utriusq; generis armatorum in castris non habuisse ipse vidi. Et (quod facilem Principi Rakocio incruentamq; peperit victoriam) audito principis Rakocii fermè imminētis rumore, expavefactus, cum toto peditatu, parteq; equitatûs, in angustiis viæ Lippam versus tendentis subsistens, reliquos ultra spatium integri milliaris misit obviam Hungaris, qui instructo ac ad pugnam

more militari diſpoſito appropinquã-tes exercitu, quamprimùm à Turcis viſi ſunt, panico omnes timore perculſi, fugâ ſibi conſulentes, pauci armis, plures in fluvium Maruſium, tunc largiores ſolito volventem undas, præcipitati periêre. Tam facilem adeptus victoriam Princeps Rakocius, tentat iterum de obtinendâ Portæ clementiâ per literas Purpuratum Budenſem, ſatis grandem intercedenti ſummam promittens, de rebuſque jam factis (quas extrema extorſiſſet neceſſitas) ſemet modeſtis excuſans verbis, ſed irritus fuit labor. Partâ cum victoriâ prædâque retrocedit Varadinum verſus, ac illinc Taſnadinum ſe confert Princeps Rakocius, ubi tamdiu moram trahit, donec Chamus Tartarorum, ac utriuſque Valachiæ Principes Tranſylvaniam ingrederentur, Supremuſque Vezerius arci Jenö immineret, ut inferius patebit.

SECTIO

SECTIO VII.

MOverat jam molem Asiæ, [1658] Europæq; Supremus Vezerius, arcique Jenö cum centum circiter armatorum millibus, tormentorumque ingenti apparatu imminebat, parte verò ab alterâ Chamus Tartarorum, adjunctis utriusque Valachiæ Principibus, in finibus Transylvaniæ erat, *dum timore perculsi Status regni, Georgium Banffi Comitem Comitatûs Dobocensis, Franciscum Daniel Regium Sedis Siculicalis Udvarhely Judicem Joannem Lues totius universitatis Saxonicalis Comitem, Regiumque civitatis Cibiniensis Judicem, deprecaturi per eos extremum regni excidium legatos ad Supremum Vezerium destinant.* Sed Georgius Banffi sive timore, sive occultiore, eâq; incognitâ præpeditus causâ se subducens, Acatius Barcsai regni totius Præses, ac Comes Comitatûs Hunyadiensis vicem ejus sponte subiens, (de

discessu, legationisque suæ summâ, ex itinere Principem Rakocium certificat, qui ex proventu salisfodinarum Transylvanicarum viatico ipsi ordinato, per literas propriâ suâ manu (quas ego & alii plerique vidimus) scriptas causam suam tractandam enixè ei comendat) cum prædictis Supremum Vezerium, tunc juxta arcem Jenô, quam ante adventum legatorum tertio die deditione ceperat, sedentem adit, totam interea Transylvaniam innumerâ Tartarorum ipsisque adjunctarum nationum colluvie igne ferroque vastante. Quis hîc innumeras Transylvaniæ clades, ruinas, excidia castellorum, oppidorum, captivata, vel crudeli data neci utriusque sexûs centum (ad minimum) Christianorum millia, integras regni regiones, uni quasi igni involutas, irritas fugas, deprehensos recessus, ardua montium ac scopulorum indagata, innumeraq; alia belli mala, animo complecti, aut calamo depingere posset?
Majo-

Majorem melioremque Transylvaniæ partem periisse, in favillasq; redactam dixisse sufficiat.

Nec tamen Transylvaniæ, similiter arci Jenô, cujus campos proprio se tinctuum sanguine non semel juraverat, suppetias tulit Princeps Rakocius, sed nemine vim propulsante, afflictisque opem ferente, satietas nil aliud vastationis regni finem imposuit. Occupata per eosdem dies sunt Caransebes ac Lugas oppida, una cum circumjacente regione per ejusdem Supremi Vezerii ablegatos. Alia atq; alia latibula, recessusque sylvarum, ac carectarum cum suis pro salute propriâ quærente Principe Rakocio: Qui tamen, ne amissæ arcis Jenô ignominia ipsi inureretur, Vice Capitaneum ejusdem Ladislaum Ujlaki, unà cum quatuor officialibus, tanquam festinatione deditionis succursum suum prævertissent, paucis post diebus capitibus plecti jussit, quamvis ne trigesimam quidem partem exercitûs

tûs hoſtilis ſuorum numerus æquaret, cum pauculis autem ſuis cohortibus, quas circa ſe habebat, contra Supremum Vezerium, Tartarorumq; Chamum, ac numeroſiſſimos eorundem exercitus pugnare quis conſultum judicaſſet?

Deſtitutæ ſic omni ſpe, ad ſingulosq́ue expaveſcentes rumores, ac extrema quæq; expectantes Tranſylvanorũ reliquiæ, miſericordiam Supremi Vezerii per legatos ſupradictos implorãt, [1658] quæ tamen non ſecus, niſi ingenti impoſitâ ſummâ, tributo añuoq́; aucto, impoſito inſuper (contra liberã hactenuſq; obſervatam Principum electionem) in Principem Acatio Barcsaio, datur; Retrocedente quidẽ paucos poſt dies cum proprio exercitu Supremo Vezerio, Chamo autem Tartarorum, circa Caranſebes ac Lugas exitum introductionis Principis Barcsaii opperiente. Non deſunt plerique qui occultis PrincipemBarçsaium à Supre-

mo

mo Vezerio largitionibus principatum obtinuisse calumnientur.

Alii verò (qui in iisdem castris erant præsentes) metu mortis compulsum subiisse asserunt, nos incerti, judicium hujus rei aliis relinquimus. Suscipit versus Transylvaniam, cum sibi adjuncto Supremi Vezerii Kapucsi Passa, iter Princeps Barcsaius, Principem Rakocium de exitu legationis suæ certificans, convocatorias præterea ad Generalia regni Comitia, in civitate Saxonicali Sespurgiensi celebranda literas universis regni Statibus & Ordinibus transmittens.

Convenêre ad præfixum diem, tàm ex Comitatibus, quàm Sedibus Saxonicalibus universis legati; Sedes etiam Siculicales per legatos ex primoribus suorum selectos solito aderant more, solus Stephanus Petki Sedium Siculicalium Csik, Gyirgyo, & Kaßon Capitaneus, (qui Rakocii Principis Consiliarius ac Supremus aulæ Præfectus) ob cau-

causam sibi soli notam aberat. *Proponit infœlicem legationis suæ exitum, mulctam ingentem, auctum tributum; impositum se Principem præsentibus Statibus Princeps Barcsaius, si armis se contra Ottomanicam Portam pares agnoscerent, sive alia superessent resistendi media, sponte se cessurum promittens, quamdiu principatûs titulo fungeretur, nunquam se cum Principe Rakocio collusurum per traditas quidem Supremo Vezerio literas jurasse, verùm deposito isto munere, cum eodem, salvâ conscientiâ posse conveniri, ait.* Speciosa hæc, sed nisi isdem Princeps à Supremo Vezerio impositus recipiatur, extremum interim minatur exitium ipsi adjunctus Kapucsi Passa, efficaces reddente ipsius minas, Chami juxta Caransebes in viciniâ adhuc morantis præsentia. Nemine itaque hiscere ausò, recipitur, solitúmque præstat regnicolis juramentum; Qui dum reciprocum ipsi præstare inciperent, quamvis cunctas contra-

ctûs

ctûs nuper cum eo initi conditiones per principem Rakocium crederent violatas, imò per & propter ipsum se periisse assererent, nihilominus innocentiam suam orbi Christiano testatam reddere volentes, futuræ portæ clemētiæ postliminioq; rediture ejus dignitatis spem tunc quoque ipsi reservavêre, quod ut lucidiùs pateat, verbotenus inseri placuit; Conditio juramento Statuum, tunc principi Barcsaio jurantium inserta hæc erat: *Hoc etiam non prætermisso, si Illustrissimum Principem Dominum Georgium Rakocium Porta fulgida in gratiam recipiet, salvum mihi sit ad fidelitatem suæ Celsitudinis redire. Ita tamen si sua Celsitudo interea temporis nullam contra regnum hostilitatem molietur, nec ullis occasionibus & modis impedimento erit, quin Portæ Ottomanicæ obsequi possimus, & tunc quoque libertatum nostrarum defectibus, secundùm placita regni medebitur.*

SECTIO

SECTIO VIII.

I*Nauguratus Princeps Barcsaius literas sub iisdem Comitiis Stephano Petkio mittit, ut beneficii à Principe Rakocio accepti memor, causæ ejus promovendæ insistat, hortatur*; quod utrum ad expiscandum scripserit hominem, aut occultè (sed syncerè) rem Principis Rakocii promovere voluerit, ipse novit, certum est usque ad exitum Comitiorum Petkium minimè comparuisse.

Missus sub iisdem Comitiis ad eum à Principe Rakocio cubicularius ipsius Michaël Teleki, juvenis versutissimi ingenii, *per quem multis ejus beneficiis recensitis, ut non sibi, sed veteri ipsius hero piscetur admonitus; omnia se facturum, nec sua sed Rakocii dignitati consulturum libentissimè promittit, promissa sanctè observaturum, per literas juramentales clam missas spondens*, nec id ipsum, quod inter reliquas conditio-

nes

nes Principibus Transylvanicis præscribi solitas, nunquam cum quopiam de transferendo principatu se tractaturũ ante paucos dies solenniter jurasset, mente revolvens. Adjunctus ipsi ad stabiliendũ ejus principatũ cum duobus millibus Turcarum erat Haczi Mustafa Begus, homo callidus, Hungaricæque peritus linguæ, quocum, finitis regni Comitiis, Sespurgo movens, Marosvasarhelyinum se confert; Fiscales regni arces suæ potestatis facturus, arceque Szamosujvariensi, Supremo ejus Capitaneo Georgio Banfi sub certis dedente conditionibus, potitur. Paulò ulterius Hungariam versus progressus, juxta fluvium Samosium, in oppido Des, Georgium Kapi ac Alexandrum Bik legatos Principis Rakocii habuit obvios, *qui in præsentiâ Consiliariorum nomine Domini sui, ut ipsi matrique (viduæ Principissæ) collata, per Principem Rakocium seniorem bona liberè possidere, ac quicunque è Transylvanâ Nobilita-*

bilitate servitio ejus addicere se voluerint, indemnibus id facere liceat, desideravêre; Habuit occulta quoque cum prædictis legatis Princeps Barcsaius (sed de rebus nobis ignotis) colloquia. *Pro voto legatorum data resolutio, juramentales literæ (de promissis observandis) per eosdem transmissæ.* Ipso Principe Barcsaio, se ante datas Principi Rakocio literas præcedenti die, ad Ottomanicam Portam, *ut Rakocianæ familiæ bona adimere, jubeatur, scripsisse, nec ampliùs scripturum (cum hanc specificè juramentalibus inseruerit literis, quòd de adimendis prædictis bonis Portam minimè sollicitaturus sit) mihi aliisque referente.* Desmo Marosvasarhelyinum iterum redit, ibique Generalia in præsentiâ supremi Vezerii Kapucsi Passæ, ac Haczi Mustafa Begi, celebrat regni Comitia. *Concluditur, quicunque Transylvanorum servitio Principis Rakocii addicti erant, sub amissione omnium honorum ad præfixum redeant diem.*

De

De modalitatibus præterea summæ Portæ Ottomanicæ, persolvendæ sancitur, universis regni Statibus, præter Siculos Csikienses, jã consentientibus, qui licet per legatos præsentes essent, in Principem tamen Rakocium proni, absque ullâ concludendi plenipotentiâ missis legatis, exploratores veriùs quàm legati dici poterant. Aberat Stephanus quoque Petkius supremus eorum Capitaneus, qui Comitia adeundi intentione se movens, Haczi Mustafa Begum (inaudito antea exemplo) Comitia regni ingressum, inhonestisque nonnullos verbis tractantem, subaudiens, medio regressus est itinere. *Sub iisdem Comitiis Princeps Barcsaius Kapucsi Passam Supremi Vezerii apud se commorantem de restitutione Principis Rakocii requirit, ipso in Portâ intercessore uti volens, seque renunciare paratum significans, sed incassum.*

Totoque anno Principis Rakocii ad Principem Barcsaium, hujusque ad

illum

illum continuatæ legationes, intermixtis pollicitationibus, aſſecurationibusque juramento Principis Barcsaii firmatis, adeoque nonnunquam dictus Princeps Rakocio favebat, interdumq; adverſabatur, ut idem nolle ſimul & velle ipſum judicaſſes. Proximè ſequẽti hyeme, cum ſummâ ad contentationẽ Ottomanicæ Portæ congeſtâ Conſtantinopolim legatus Sigiſmundus Banffi cum adjunctis expeditur, quæ (ſi inexplebilia eorum ſpectes deſideria) cum inſufficiens eſſet, denuò cum ſuperadditâ Michaël Serenyi expeditur ſummâ; Non tamen lenita his obſequiis Porta, quin potiùs Sigiſmundus Banffi cum ſociis in Jediculam (eſt nomen carceris) conjectus, areſtatus. Lubricus quocirca ad exitium undiquaque pronus regni ſtatus, ingentem portâ Ottomanicâ & (quod miſerrimum) abſq; ullâ ſi eam perſolvere poterit, ſpe futuræ ſecuritatis, irremiſſibiliter extorquente ſummam. Princi-

pe

pe Rakocio principatui inhiante. Csikiensibus eidem adhærentibus; Nec tot nostris malis quievêre fata. Conciliavit externas insuper inimicitias mẽs Principis quiescere nescia; inter tot enim rerum labyrinthos, purpuratum, Csengi Zade Ali Passam (qui arci Jenő Temesvaroque præerat) consequenter Valachiæ, Transalpinę principem Mihne dictum, *tanquam occultum fedus, occultamque cum Principe Rakocio habentes amicitiam, in Portâ accusat*, & dictum quidem Ali Passam (ut circumstantiæ erant testes) non immeritò. De Principe Mihne pro certo affirmare non ausim, verùm eo, quo tunc in Portâ accusabatur, paulò pòst se polluisse crimine, rei exitus docuit.

SECTIO IX.

NEc princeps Mihne tuendæ suæ deerat dignitati, quin potiùs ingenti summâ conciliatis (non tamen reconciliatis) in Porta purpuratorum

 animis,

animis, *occultos Principis Barcsaii cum Principe Rakocio juramentalibusque literis firmatos tractatus in lucem prodidit, inconstantibus infidelibusque utrosque jam annumerante Portâ Ottomanicâ. Purpurato praeterea Budensi Szejdi Amhet Passa, ne ullas Principi Barcsaio contra quemlibet suppetias, (quod tamen tunc eum latebat) largiretur, demandatum*; Propriis quoque armis Principem Barcsaium invadere parabat, dictus Princeps Mihne, quae ipso instruente Joannes Kemenyius post diuturnos Krimiensis carceris squalores, ingenti litro Chamo Tartarorum promisso Transalpinam ad Principem Mihne appulit, *audit querentem de Principis Barcsaii injuriis eum, videt apparatus contra patriam suam instructos*, compatitur patriae, seque interposito diffidentium Barcsaii ac Mihne Principum animos ad concordiam juramento utriusq; firmatam reducit, semper tamen alter alteri diffidentes,

nunquam ſyncerè coaleſcere potuêre. Generalia in civitate Saxonicali Sebes regni Comitia rurſus celebrat Princeps Barcsaius, *in quibus conſtitutio de Tranſylvanis ſub pœnâ capitis & omniũ bonorum Principi Rakocio valedicendis dennò confirmatur, bona, variis ſub coloribus undiquaque per Georgium Rakocium ſeniorem congeſta, uxorique ac filiis diſtributa, diſpoſitioni Principis Barcsaii ſubmittuntur, quæ partim Fiſco reſervans, partim nonnullis primatibus diſtribuens, ſe quidem diſtribuere, ipſi verò quibus per eum donantur quo pacto poſſidere poſſint, videant, perſcripſit Principi Rakocio, tunc in finibus Hungariæ commoranti. Sub iisdem Comitiis lachrymoſæ, Bihor, Kraſzna, & Szolnok mediocris Comitatuum querelæ, de latrociniis, continuiſque Principis Rakocii militum (quos apertè aliquid moliturus, ultraque privati ſtatum congregaverat) enormitatibus audiuntur, per quos dictorum Comitatuum incolæ o-*

omnibus se bonis exutos deflentes, auxilium juxta unionem regni à Statibus implorant. Admonetur Princeps Barcsaius, calamitatibus sibi subjectorum (munere suo id ipsum exigente) non desit. Solutis interea Comitiis, publico iterum prædictorum Comitatuum nomine, Georgius Erdelyi ac Stephanus Oerdög (utriq; ex illis provinciis præcipui) Principem Barcsaium in præsentiâ Consiliariorũ, ut propter misericordiam Christi ipsis, omnibus jam bonis per Rakocianos exhaustis, & (quod magis dolendum) corporum plerisque ludibria deflentibus, succurrat, exorant.

Ex assensu Consiliariorum nec; tutum, nec honestum visum est, Principi hæc ulterius pati, tacente enim ac omnia sustinente eo, prævidebant ulterius serpere malum; Generalis quocirca bellica per publicas demandatur literas expeditio, paruerunt q; cuncti jubenti, Siculis quoque Csikiensibus cum Capitaneo eorum Stephano Pet-

kio,

kio, ad unionē regni jam redeuntibus, caſtraq́; juxta civitatem Torda (in campo Kereſtes dicto) locata, Stephano Varadi cum mille & ducentis circiter ſtipendiariis equitibus verſus Hungariam ad confinia regni, ut conatibus principis Rakocii, qui irrumpere velle nunciabatur, invigilaret, præmiſſo, *qui per iteratas ut in unum coactos contineat milites, in ſingulaque momenta conatibus Rakocii ſit intentus, admonitus literas*, iis ſpretis, tribus ſaltem cohortibus pro ſui cuſtodiâ reſervatis, reliquas vicatim diſtribuit, quem noctes dieſque compotatione terentem, ac tunc quoque inter convivas & pocula menſæ aſſidentem equites duo, ipſi parentes adeunt, *nonnulla Rakocianorum vexilla, quæ ad opprimendum eum miſſa per compendia viarum imminent, ſe non procul vidiſſe jurant*, proſiliit ille è convivio vix compos mentis, dictaſq́; tres cohortes è vico in apertum campum educit, ubi paululùm moratus,

necdum apparente hoste, parvũ abfuit quin eos, per quos rumor hostilis erat allatus, occideret, depositoque dum metu denuò Baccho libat, superveniẽte hoste, sine negotio profligatæ cohortes, ipse lethaliter vulneratus, captusq́; paucos post dies ex vulnere moritur. Distributæ per pagos reliquæ ejus cohortes, (tanquam sine capite exangue corpus) nihil molitæ, nemine persequente in castra ad Principem rediêre. Iisdem planè diebus redierat, primùm in propria, mox in castra è captivitate Crimensi Joannes Kemenyius, cujus longiorẽ opinione in Valachiâ Transalpinâ apud Principem Mihne moram in malam Princeps Barcsaius interpretatus partem, principatui ejus, ipsum inhiare credens, tot (ut putabat) corrivalibus impar, *ipsi adhuc in Transalpinâ moranti, per literas, ac nuncium suum Andream Vajna, principatum offert, nunquam se de transferendo principatu cum quopiam tractaturum tempore inaugu-*

augurationis solenniter jurasse, non satis memor. Præsente itaque eo, cui absenti oblatus erat prædictus honor, privatim primùm ambo, mox præsentibus (inconsultis tamen) Consiliariis, eadem reiteratur materia; *Universis tandem regni copiis in campum eductis multis verborum laudibus commendato, seq; huic muneri longè aptiori Princeps Barcsaius Joanni Kemenyio donat illud munus. Summas is agit gratias, deflexoq; ad præsentes exercitus vultu, imparem quamvis tanto se agnoscat oneri, ne tamen unquam patriam sui principatûs pœniteat, annisurum promittit. Rogat præterea eundem Princeps Barcsaius, quandoquidem Principem Rakocium ulterius non penetrare, publicæ intersit quieti, ipsi obviam ire, verbisque ac conditionibus (si fieri posset lenitum) ut ab incepto desisteret, inducere ne gravaretur.*

SECTIO X.

LUbens subiit hoc iter Joannes Kemenyius, Principi tamen Barcsaio, ut sequenti (Dominico nimirum) die duo milliaria retrocedendo juxta pagum Decse figeret castra, ibiq; eodem moratus die, si usque ad matutinas diei Lunæ horas, nullam ab ipso accepturus esset resolutionem, se invitum remoratum, inutilemque sciret suscepisse laborẽ, dicens. Hac re inter ipsos conclusâ, festinat ad destinatum Kemenyius iter, sequentique juxta Samosium fluvium die Principi Rakocio castra ad vicum Suk habenti occurrit. Cujus post discessum, circa ejus diei vesperã quatuordecim vexilla Rakocianorum vidisse, allatum est à nonnullis; castra itaque Principis Barcsaii Rakocium noctu velle invadere, creditum à cunctis. *Consultis itaque primoribus, ut eductis in campum oportuneque dispositis cohortibus, imminentem (ut putabant) exciperent hostem,*

pla-

placuit, Steteruntque paratæ ad pugnam uſque ad dimidiam noctem, nullo hoſte ſuperveniente, cohortes, quia verò pernoxerat Luna, certoque concluſum erat ſequentis diei iter, in caſtra redire, illincq; ad iter ſe movere tædioſum putantes, eadem nocte verſus præfixum à Joañe Kemenyio locum profecti manè appulerunt, totoque Dominico die illic ſunt comorati, nullâ per Joannem Kemenyium de tractatu ſibi commiſſo certificatione factâ. Dilabebantur interim à Principe Barcsaio paulatim fermè cuncti; qui tacitum in ſinu hactenus fovebant Rakocii Principis amorem, palàm diſcedebant, nonnulli nobiliũ fictis ſub cauſis veniã abeũdi ab eo petebant; Qui erga ipſum fideliores, abire inhoneſtum putantes, manebant quidem, ſed nullâ cum ſpe ſecuritatis. Adeoque ſenſim extenuatus ipſius exercitus, ut præter Magnates, (quorum potior adhuc perſiſtebat numerus) ſtipendiarioſque, pauci ſu-

pereſſent; Csikienſes (qui ſeriùs ad obedientiam Principis Barcsaii redierant) Capitaneo Stephano Petki affectus eorum moderante reliquis conſtantiores viſi ſunt, qui die Lunæ Albam Juliam uſque ſequuti Principem, annuente eo illinc diſceſsere. Tendentem Albam verſus (die Lunæ) Principem Barcsaium, medio ejus diei itinere, aſſequitur unà cum literis, tabellarius Joannis Kemenyii; *Scribit Principem Rakocium ad pacem cum eo concludendam paratum, mirarique cur nullo hoſtili urgente metu retroceſſerit. Princeps Barcsajus ſe quidem pacto cum Joanne Kemenyio (de principatu ipſi donato) ante qvadriduum inito libenter ſtaturum, verùm imminentem cum proprio exitio nolle opperiri hoſtem, reſcribit.* Literarúmqve latori, ipſiuſmet Joannis Kemenyii filio Simone (qvi in caſtris ſecũ erat) adjuncto, per eum prolixiùs eadem de re nunciat. Ingreditur circa occaſum Solis eadem die

cum

cum magnatibus aulæque familiaribus Albam Juliam Princeps Barcsajus, copiisque quæ supererant, ut prope urbem castra figant, demandat. Verùm timore magis ac magis percullæ vix dicto audientes fuêre.

Duo eodem die ex stipendiariis Principis Barcsaii, post occasum Solis supervenere equites, qui Principis Rakocii exercitꝰ in plateis oppidi Enyed (quod duabus Albâ distat milliaribus) cursitasse, seque vix fuga elapsos, sanctè jurabant. Quo Princeps Barcsaius audito, Stephanum Petki ac Stephanum Ebeni, (utrosque Consiliarios, Principique Rakocio (alias) percharos) Joanni Kemenyio significare jubet, *ipsum quidem Principis Rakocii fidei semet minimè commissurum, interim saltem ipsius è regno exitum obtineat, promissi tenacem fore.* Expeditisque iis, circa horam noctis primam cum nonnullis procerum, stipendiariisque militibus Alba egressus, (reliquiis regni exerci-

tûs dimissis) Devam (ea est arx Turcis vicina, duorumque Temesvaro dierum itinere distans) circa ortum Solis ingreditur. Princeps interim Rakocius, quamvis Joannem Kemenyium Gerendinum, in castellum proprium (quod inter oppidum Enyed, & civitatem Tordam, ex cujus viciniâ castra retrocessisse dictum est, situm erat) coaliturae pacis spe plenū remisisset, praemissis tamen Enyedinum versus antecursoribus, ipsoque cum reliquis properante, nitebatur Principem Barcsaium, à cunctis fermè jam desertum assequi; non immeritò quocirca Albâ eum discessisse res ipsa testata est, sed Tordam ingresso, eum Devam se recepisse nunciatur, in eodem itaque (quem is deseruerat) loco juxta civitatem dictam figit castra. Commoranti ibidem eidem, Stephanum Petki, ac Stephanum Ebeni (sibi charissimos) à Principe Barcsaio ad Joannem Kemenyium missos, Gerendini esse, innotescit;

quos,

quos, cum certâ equitum manu ſub noctem properans, circa ortum Solis in lecto jacentes, lætus ſalutat, ad ſeque recipit. Ne interea tractatus, qui inter Principem Rakocium Joannemq; Kemenyium inchoati erant, lectorem lateant, breviter inſerere placuit: De Ottomanicâ non multum fidens Princeps Rakocius gratiâ, ſub alieno tamen nomine Tranſylvaniam poſſidere, clientemque ſimul (ut ipſe aſſerebat) immeritò ſolium ſuum uſurpantem ulciſci ſatagens, offerebat Ioanni Kemenyio, *ut (per publicas tabulas renunciante Principe Barcsaio) principatum ſubeat, in bonis tamen utcunque per genitorem ejus congeſtis indemnem ſe manuteneat, in omnibus præterea regni negotiis ipſi ſubſit; breviter, ut titulotenus Joannes Kemenyius, reverà ipſe prædominetur, hic fructus percipiat, ille labores ſuſtineat regni.* Hoc unicum tam diu habuit in propoſito, donec Valachiæ Tranſalpinæ Principem Mihne di-

ctum, apertè contra Turcas rebellasse, confederationemq; suam per legatos ambire audisset, ut paulò pòst patebit.

SECTIO XI.

INgressus Devam (ut præmissum) cum nonnullis proceribus, militibusque stipendiariis, ac propriis aulæ familiaribus, Princeps Barcsaius, menstruo stipendiarios donat stipendio, exautoratq; præter Dragonas ac pedites, fermè universos, aulæ quoque familiarium quoscunque præsentis tædebat fortunæ, liberos dimittit. Ad Csengi Zade Ali Passam, (à se antea in Ottomanica Porta, ut præmissum est, accusatum) servitorem quendam Marko dictum, auxilia imploratum expedit. Tendit interea Albam Juliam versus cum exercitu Princeps Rakocius, amissaq; spe Principem Barcsaium armis opprimendi, *cum juramentalibus Stephanum Ebeni, ad eum mittens literis, ad mutuum invitat colloquium, renuit ille,*

sive

sive pungente conscientiâ, sive (ut prætendebat) ne propter incertam futuræ concordiæ spem, apud Turcas vel nomen Rakocii exesrantes, omni expectatione amissâ, auxiliis destitueretur. Urgente verò plurimis egressum ejus verbis Stephano Ebenio, ne nihil fecisse videretur, spondente pro incolumi ejus reditu, ipso, ad Rakocium, utrum tolerabiles proponeret pacis conditiones intelligere optans, Joannem Betlenium expedit. Cujus iter propter fidelitatem erga Principem Barcsaium perspectã, apud Principem Rakocium exosi, non vacabat periculo; illibata tamen fretus conscientia, prolixè eum assecurante Ebenio, demandatum suscipit iter, Principemq; Rakocium juxta Albam Juliam invenit obvium. Qui ab eo in præsentia Ioannis Kemenyii (quem secum habebat) confestim admissus, credentionales Principis Barcsaii exhibet literas, salutatoque Domini sui nomine eo, fatur; *Celsissimus Princeps meus,*

meus, contractûs cum Domino Joanne Kemenyio in campo Kereſztes initi memor principatui renunciare paratiſſimus eſt, verùm quanto vel nomen Celſitudinis veſtræ univerſa Turcarum natio execretur furore, cum ipſamet probè noverit, invitâ eâ, nec ſibi nec regno conſultum ac ſalutare foret de obtinendo laborare principatu, ut itaque recedat, nec in exitium proprium & regni potentiſſimam provocet nationem, obteſtatur per miſericordiam Dei. Subriſit his auditis ille, per eundemque Joannem Betlenium hæc ejus à Principe Barcsaio poſtulata fuêre: *Ut ſyncerè (non autem fucatè) principatui renunciaſſe conſtet, univerſos regni Status à juramento ſibi præſtito juxta formulam literarum hac de re per ipſum datarum abſolvat confeſtim. Nec ſibi cum Joanne Kemenyio de modalitate futuri ipſius principatûs concludendi præſcribat.* Regno tamen egreſſurum ne verbo quidem ſe obſtringens. Sub iisdem

planè

planè diebus, quadringentis circiter Turcis ex inópinato oppressis, rebellavit contra Ottomanicam Portam Princeps Valachiæ Transalpinæ Mihne, confederationemque Principis Rakocii per legatos ambit. Reportat resolutionem Principis Rakocii Devam Joannes Betlenius, exhibitisq; literarum evulgendarum paribus, omnis inter Rakocium & Barcsaium Principes coalituræ pacis spes evanescit. Legatos itaque (Devæ interim ipse moraturus) Andream Barcsai, Germanum suum fratrem, Joannem Betlenium, (quē sub initio regiminis sui Cancellariatûs munere ornaverat) Michaëlem Toldalagi, ac Christophorum Pasko, ad Ottomanicam Portam, auxilium ejus imploraturos destinat, & expedit; periculosissimum erat hoc illis subire munus, uxores enim ac liberos, reliquasq; eorum substantias, quę in Transylvania erant, prædæ Rakocianis cessuras certo certiùs prævidebant. *Plerisque*

quæ tamen nobilium, ſeptem præterea Orthodoxæ religionis Eccleſiaſticis, ne obedientiam Portæ Ottomanicæ debitam exuentes demandatum detractarent iter, totque millium Chriſtianorum (qui propter rebellionem regni, niſi aliqui in fidelitate ejus perſiſtentes ſupereſſent, perituri forent) exitii cauſa eſſent; ſub conſcientiâ urgentibus, tandem paruêre. Pergunt eodem die verſus oppidum Turcicum Tót Varadgya, tabellarium interim Marko, quem ad Csengi Zade Ali Paſſam cum literis à Principe Barcsaio expeditum diximus, habent obvium. *Inutilem eorum, niſi Princeps ipſemet Temeſvarinum ingrediatur, refert fore laborem, dicti Ali Paſſæ homine ipſi adjuncto hoc ipſum prolixiùs ex mandato Domini ſui aſſerente.* Dubitatur inter legatos, quid opus ſit facto, tandem uno è ſuorum numero Chriſtophoro Pasko ad explorandum Principis Barcsaii animum remiſſo, continuant deſtinatum reliqui iter.

iter. Redit is cum tabellario Principis, adjunctoque Csengi Zade Ali Passæ homine Devam, diuque inter abeundi ac manendi consilia hæsitante Principe Barcsaio, tandem circa decimam vespertinam unà cum Comite Ladislao de Csak, Stephano Csengeri Concionatore aulico, mediocrique aulicorum comitativâ præmissos subsequitur legatos, continuatoque per noctem ac sequentem diem itinere, in viciniâ oppidi Turcici Tót Varadgya subsistit. Adeoq; opportunissimo Devâ discedit tempore, ut quingentorum equitum, quos ad intercipiendum ejus iter, selectissimos princeps Rakocius, (solâ suspicione abeundi, nullis indiciis permotus) expediverat, adventum, vix quadrante prævenisset. *Occurrit (adjunctis sibi legatis ipsius) Principi Barcsaio sequenti die instructis cum cohortibus Csengi Zade Ali Passa, congratulatur ejus adventui, quieteque ejus diei refectum, altero Temesvarinum comita-*

mitatur. Ubi ingenti cum ſolennitate inſtructoq; toto exercitu obvio excipitur à Purpurato Budenſi Szejdi Amhet paſsâ, in tentoriumque ſolenniter erectum deducitur, pro ſuſtentatione ejus, ſuorumque dietim abundè proviſum. Diligentiſſimâ tamen circa tentorium ipſius Janizarorum cuſtodiâ diſpoſitâ, unde (etiamſi redeundi aut elabendi animus fuiſſet) vix ſe hoc potuiſſe præſtare, liquidò conſtabat.

SECTIO XII.

PRincipem Barcsaium è manibus ſuis elapſum non ultrà perſequens Princeps Rakocius, legatis Principis Mihne pro voto eorum reſpondet, in propriâque perſonâ ad ſanciendum cum eo fedus propediem ad confinia Valachiæ Tranſalpinæ ſe iturum promittit. Generalia præterea in civitatem Maroſvaſarhely regni indicit Comitia, Siculi Csikienſes, Gyergyiaienſes, Kaſonienſes, Sepſienſes, Kezdienſes, Orbaienſes

læti,

læti, Saxonicæ, Hungaricæque civitates metu perculsæ, nobilitas quid faceret nescia, ex eoque inter spem & metum hæsitans adfuêre. Princeps ipse Rakocius (duobus illinc milliaribus) in castro Radnotiensi exitum rerum præstolatur, exercitu ejus (qui totus ex colluvie sceleratorum erat congregatus) tàm in civitate Vasarhely, quâm toto regno cuncta cædibus & rapinis miscente, nec ulla Marosvasarhelyini dies (libertatem quamvis suffragiorum regni Statibus Rakocius promisisset) durantibus Comitiis sine cæde præteriit. *Congregatis primo Comitiorum die Statibus, Michaël Mikes, qui per leges regni Principe Rakocio seniore regnante proscriptus, per intercessionem Joannis Kemenyii cum tribus servis militiæ aulicæ primùm insertus, tandemque Vice Capitaneatûs munere donatus, Principe eodem è vivis sublato per Georgium Rakocium Secundum Cancellariatûs honore ornatus, unà cum eo patriæ solum verte-*

verterat, redieratque, omnem in principatu ejus spem collocans, ut à regni Statibus recipiatur, clarâ voce urget. Laudat hæc dicentem frater ipsius germanus Clemens Mikes, Sedium Siculicalium Sepsi, Kezdi & Orbai substitutus Capitaneus, qui prudentioribus, patriæq; amantioribus rejectis, ex singulis regionum prædictarum vicis, quoscunque ex infimâ hominum fece garrulos noverat, gregatim in Comitia secum ducens, quicquid ipse afferebat, tanto cum clamore à suis est acclamatum, ut ne verbum quidem contraria sentientibus proferre fas esset. Similem quoque suorum comitivam, actusque habuit Stephanus Lazar, Csikiensium supremus Judex Regius. Hos itaq; tres Comitia ista celebrasse, reliquos saltem interfuisse non immeritò dixeris.

Sententia tandem ab iis, quibus libertas suffragiorum jam dudum ademptaerat, rogatur. *Inter quos Joannes*

Keme-

Kemenyius prudentiâ, rebus gestis, authoritateque reliquis præstantior, dum sententiam promere jubetur, se, lutro suo nondum persoluto, captivum etiamnum esse, discursum quidem suum, non autem sententiam proferre posse, cùm captivo rebus tanti momenti manus admovere non liceat, respondet. Efferbuit hoc audito Michaël Mikes, acceptorumque à Joanne Kemenyio beneficiorum immemor, *eum, depositâ Pharisæorum simulatione, cathegoricam promat sententiam, urget. Sive natio, sive provincia, sive privata aliqua persona Celsissimum suum Principem Georgium Rakocium, pro Domino suo agnoverint, paratum iis offerre patrocinium, reliquos pro hostibus habiturum, subjungit.* Obstupuêre his auditis cuncti, compedes præcedēti nocte ferreos, quibus refractarii plecterentur, complures paratos esse scientes, assenseruntq; silendo receptionem principis Rakocii urgentibus. Expediti itaque (qui hoc ipsum ei renun-

renunciarent) legati; accipit ille, quem jam armis extorſerat honorem. Ut intercesſorias ad Ottomanicam Portam pro ſe, accuſantes autem contra Principem Barcsaium ſcribant literas, imperat, nemineq; refragari auſo, obtinet. Joanni Kemenyio, minimè (ut vulgare Hungarorum proverbium) in cophinum alterius fraga collecturum, ſpe itaque principatûs ſe lactare deſinat, denunciat. Ad fedus cum Principe Mihne in perſonâ ſanciendum ad confinia regni illinc tendit. Joanne Kemenyio, ſimulato morbo à prædicto ſe excuſante itinere, qui poſt diſceſſum Principis Rakocii, in Hungariam, ad contrahendas cum Baronis cujuſdam vidua nuptias egreſſus, nunquam vivente eo Tranſylvaniam ingreſſus eſt. Appropinquante ad confinia Principe Rakocio, Princeps Mihne ad vicum Rukar inſigni cum ſolennitate occurrit, ſancitum ab utriſque ſub juramento fedus; Verùm in regreſſu, è comitivâ Ra-

vâ Rakocianâ (extraordinario Dei miraculo) plerorumque magnatum lento saltem gradientium passu, crura lapsu equorum fracta, infaustam fore illam confœderationem ominata sunt.

SECTIO XIII.

INgressus (ut præmissum est) Temesvarinum Princeps Barcsaius, eodemque die misso cum literis ad Imperatorem Turcarum tabellario suo, (Marko,) certiorem de suo ac Transylvaniæ statu eum fecit, qui continuato per dies ac noctes itinere, mutatisque ad celeritatem jumentis, in Brussâ civitate Asiæ, sibi concreditas reddidit Imperatori literas, cui sub idem fermè tempus, Principem Mihne rebellasse, deletisque nonnullis Turcarum cohortibus, Principi Rakocio se conjunxisse allatum erat. Consuluit plurimum idipsum Principi Barcsaio, accusationes enim ipsius contra Principem Mihne verissimas, illius autem

contra eum factas, mera fuisse mendacia, creditum. Princeps itaq; Barcsaius de restitutione, specialiq; gratiâ per literas proprio chirographo Imperatoris munitas, assecuratur. Purpurato præterea Budensi, ut eum tanquam (ut ipsi ajunt) Regem Transylvaniæ, honorificentissimè tractatum, expulso aut occiso Principe Rakocio, in regnum restituat, demandatur. Literis hisce (per dictum Marko) Temesvarinum perlatis, magna fit circa Principem Barcsaium rerum mutatio. Purpuratus Budensis (Szejdi Amhet Passa) eo audito, res retroactas excusat, seque (ex mandato potentissimi sui Imperatoris) in ejus potestate deinceps futurũ promittit. Amovetur custodia Janizarorum. Speque brevi in Transylvaniam reditûs impletur: Nec stabiliendis interim rebus suis Princeps Rakocius deest, quin potiùs ut Ottomanicas distrahere posset vires, Michaëlem Mikes, cum certâ equitũ, Andream Gaudi, Co-

di, Co-

di, Colonellum suum, selecta Germanorum peditum manu, ad fulciendas Principis Mihne contra imminentem hostem copias, expedit, contra quem Purpuratum Szilisztrensem, Tartarosque Bucsakienses se movisse ferebatur.

Moldaviam quoq; ab obsequio Ottomanicæ Portæ avulsurus, exulem quendam Valachiæ Principem (Constantinum) à quo ingentem multis modis extorserat summam, cum validâ Siculorum manu, Duce Clemente Mikes, ad eam occupandam ablegat, qui Moldaviam quidem ingressus, exturbato ejus Principe, sedem principalem occupat, verùm superveniente cum majoribus copiis Principe expulso, cum clade ejicitur, ut inferius patebit. Missis interim per rusticum quendam Princeps Rakocius Temesvarinũ literis, ingratitudinẽ Principis Barcsaii prolixis exprobrat verbis. *Ignobilitatem præ cæteris in despectum proculdubio Turcarum eum adducturus, objiciens,*

quippe qui patris ipsius domûs calefa-ctor, ab eoq; promotus, solium Domini sui usurpare non erubesceret; opes, copias imò vitam suam offert ad obsequium Ottomannicæ Portæ. Pervenêre feliciter eò, quò destinatæ erant literæ, sed contrarium sortitæ effectum.

Purpuratus enim Budensis, rustici cujusdam filius, in pueritiâ latro, mox prædo, tandem eorum qui in Asiâ contra Imperatorem Turcarum rebellaverant Dux, non armis, sed oblatâ modernâ ejus dignitate sumpta deposuerat arma, gloriæ quocircà, non dedecori ignobilitas, apud ignobilem erat. Intellectis itaque Principis Rakocii literis, in hæc erupit verba: *Nequissimus ille mortalium, ignobilitatem alterius perstringit; cum ex parvis initiis virtute in altum eniti, quàm ex alto (uti ipsi contigit) propter scelera deturbari, honestius sit. Ego, inquit, rustico natus patre, virtute simul ac honoribus genitores meos praivi.*

SECTIO

SECTIO XIV.

PRincipe Barcsaio Temeſvarini commorante, iteratæ à Gabriele Haller, inſignis fortalitii Varadienſis Supremo Capitaneo afferuntur literæ, præſidiarios jam dudum ſtipendiis defraudatos, vix dicto eſſe audientes, quibus niſi ſolvatur, ne ad Principem Rakocium deſciſcant, metuendum eſſe, ſignificat. Verùm, jampridem (præter paucos ex præcipuâ nobilitate, qui periculis patriæ præcõſideratis inſigne illud totius Chriſtianitatis fortalitium ſub nomine Rakocio periturum prævidentes diſſensêre, ob idque extremum non ſemel vitæ periculum adivere) tam præſidiarii, quàm promiſcua nobilium illic degentium multitudo, ut inferius patebit, Joanne Racz, Franciſco Sztepan, Michaële Teleki, aliiſque nonnullis impellentibus, ignaro tamen cum ſuis Principe Barcsaio deſciverant. Neç Vice Capitaneus Mat-

thæus Balog expers hujus erat facti, per quem Hungarici pedites fascinati, Germanis ac Szemeniis peditibus adhuc in fide permanentibus. Rescribit brevi se stipendium transmissurum Princeps Barcsaius, nec diu dilatum; Missus cum duobus millibus & quingentis equitibus Purpuratoque Jenciensi (Csengi Zade Ali Passa dicto) Joannes Betlenius, duo millia Ducatorum ipsis in stipendium adfert, Gabriele Haller de adventu suo priùs præmonito, rogatoque ut ad mutuum amici colloquium extra arcem prodire ne gravaretur. Functionis suæ munere hoc ipsum vetante non posse egredi, interim (obsidibus priùs acceptis) Vice Capitaneum Matthæum Balog cum adjunctis egressurum, renunciat ille.

SECTIO XV.

Mittitur itaq; in civitatẽ Christophorus Pasko, qui Joanni Betlenio aderat, ac Olai Begus Gyulaiensis,

quibus

quibus urbem ingressis, supradictus Matthæus Balog Vice Capitaneus, Joannes Racz, ac Franciscus Sztepan urbe egressi, Joannem priùs Betlenium adeunt, *utrum arx Varadieñ per Principem Barcsaium Turcis donata sit, sub conscientiâ ipsis significet, per Deum & conscientiam obtestantur; ille negat vel mentionem istius rei factam unquam se audivisse, quin potiùs si in obedientiâ Ottomanicæ Portæ, fidelitateq; Principis Barcsaii constanter perseveraverint, indubitatam salutem, si verò ad Principem Rakocium desciverint, certum fore ipsorum exitium, sit persvasus*; nec tamen antequam syncerè hæc omnia dixisse per Sanctam Trinitatem jurasset, fides dictis data.

Deducti ad Purpuratum Csengi Zade Ali Passam ipsi, qui, junctis priùs dextris, Matthæum Balog, sibi anteà notum, per interpretem sic alloquitur: *Matthæe Balog, aliquid vos mali machinari, vultus ipse prodit; interim cau-*

tèrem gerite, in fidelitateque potentissimi Imperatoris, nisi malè vobismet optetis consultum, constanter perseverate.

Si in obsequio potentissimi Imperatoris constantes erimus, tàm nos salvos fore, quàm arcem Varadiensem sub potestate nostra relinqui, utrum vestra Magnificentia spondere audet? quærit ille. Cui Purpuratus: Vestra non subsum potestati, ut necessitas me perjurium committere cogat; Interim juro per Deum omnipotentem, Cœli, Solis, & Lunæ creatorem, potentissimi mei Imperatoris benedictum caput, saltem in fidelitate persistite, nunquam Turcarum natio Varadinum Hungaris adimet, imò contra quoslibet hostes suppetias feremus. Optimæq; indolis filium sibi assistentem producens; En (inquam) deducite pro obside filium meum in arcem, si promissa fallimus, eo quo placebit afficite mortis genere. Si verò obsequio Portæ Ottomanicæ rejecto, ad Rakocium desciveritis, non ampliùs Varadinum vestri

ſtri juris fore, per eundem Deum omnipotentem juro.

Agit gratias Matthæus Balog, ſubjungit præterea: *Oblationes veſtræ Magnificentiæ, fatemur, ſunt optimæ, ſed nobis exiguam eſſe in arce commeatûs copiam, intelligat, longam quocirca moram non expectat imbecillitas noſtra. Reſpondet ille: Saltem fideles eſtote, nec commeatus, nec ſubſidia deerunt. Centum currus tritico onuſti, imo ducenti, neceſſitatibus veſtris ſufficientne? Eo quo deſideraveritis die, per me huc mittentur, ſaltem conceptam (quam jam ſubolfacio) intermittite proditionem, ne perfidiâ veſtrâ inſigne hoc fortalitium à natione Hungarorum abalienetis.* Deflexo deinde ad Joannem Betlen vultu, ut ſtipendium per certum perſolvat hominem, literaſq; de eo Quietantiales ſigillo Capitanei arcis Varadieñ munitas accipiat, imperat. Quos, ipſi valedicentes aliquandiu comitatus Joannes Betlenius iterũ his alloquitur verbis: *Ceſ-*

ſiſſimus Princeps Barcsaius, ne extra proprium quidem regnum parcens ſumptibus, quantam in ſtipendium præſidiariorum per me tranſmiſerit ſummam, ipſi videtis; Univerſos itaq; & ſingulos veſtrum obteſtatur per Deum, etiamſi occultum in pectore foveritis Principis Rakocii amorem, in lucem ne prodite, manete neutrales, nihil ſanè ipſi ſervientes, illi qui in principatu ſtabilietur cum regno ſerrituri, cum ſub nomine Rakocio vos omnes perituros certo certiùs credat; Stephanum Dobolium, ſolutionum Fiſcalium Scribam, vobiſcum in urbem tranſmitto, cui de ſummâ per eum perſolutâ, date literas Quietantiales.
Quibus illi auditis, urbem cum dicto Scribâ ingreſſi, ademptâque pecuniâ, tàm eum quàm ſupra ſpecificatos remisêre obſides. Ne interim ſceleri ſcelus ſuperaddere prætermitterent, univerſos Hajdonum copias ad opprimendũ Joannem Betlenium ſibiq; adjunctos, per occultas convocare nituntur lite-

ras, verùm illi, magnificis potiùs verbis, quàm armis Turcas occidere soliti non paruêre.

Joannes etiam Betlenius Lippam, illinc Temesvarinum ad principem Barcsaium rediit. Missa Varadinum summa, per eos qui principi Rakocio arcem prodiderant, inter se divisa.

SECTIO XVI.

JAm Æstas præcipitaverat, necdum tamen purpuratus Budensis ultra quatuor millia armatorum habebat in castris, tàm longæ itaque pertæsus moræ princeps Barcsaius, Michaëlem Toldalagi primatem Transylvaniæ ad Imperatorem Turcarum denuò mittit, qui Hadrianopoli eo invento, missas ipsi exhibet literas; reddit etiam (quo apud Imperatorem rebus Barcsaii promovẽdis diligentiorem redderet,) Supremo Vezerio literas simul & mille aureos ipsi missos, *pro Sigismundo Banfio in Jediculam (ut præmissum est) cum*

ſuis conjecto ſimul intercedens. Tàm accepto munere, quàm fidelitate clientis (ut aſſerebat) ſui auditâ lætatur Summus Vezerius, Sigiſmundum Banſſi cum ſociis arcto ſolutum, dimittit, eademq; die Aſſecuratorias ſub chirographo ab Imperatore de ſubſidiis obtinet literas, *ſub mortis pœna Purpurato Budenſi, ut confeſtim eum exturbato Principe Rakocio in Tranſylvaniam reſtituat, demandatum, quod ſi diſtulerit, jurare potentiſſimum Imperatorem per Deum immortalem, ipſo, ſubjectiſq; ejus priùs occiſis, alterius negotium hoc conficiendum fidei commiſſurum.* Redditis Michael Toldalagi tàm Principi Barcsaio, quàm Purpurato Budenſi literis ille lætus, hic verò expavefactus, in præſentiâ magnatum Turcicorum expanſis literis, ita fatur: *Secordia atque negligentia veſtra quantam mihi, vobisque Imperatoris potentiſſimi indignationem conciliaverit, ipſi videtis, ne itaque immeritas negligentiæ veſtræ pœnas ego*

quoq;

quoque luam, vel cum propriâ aulicorum comitivâ, iter contra Principem Rakocium aggredi paratus sum, vos videritis, utrum honestè contra hostem pugnando, an propter inobedientiam cum dedecore à proprio interfici praeoptetis Domino. Ab universis, ut itineri se accingat, reclamatum, missiq; extemplò Csauzii, qui gregarios castra sequi cogant milites.

SECTIO XVII.

IPso tandem autumno, exercitu Turcico satis grandi congregato, mense Novembri movet Transylvaniam versus se cum Principe Barcsaio Purpuratus Budensis. Huszaim Passa, qui Agriensi præsidio præerat, duobus semper miliaribus cum selectâ prçmisso manu.

Compositis (ut putabat) regni negotiis, Turcicisque tantùm conatibus intentus Princeps Rakocius, dispositis in Comitatu (qui Turcis vicinus est) Hunyadiensi copiis, ipse non procul

tunc temporis in oppido Saxonicali (Szaſzvaros) morabatur. In viâ, quæ antiquitùs Porta Ferrea nũcupatur, ingreſſuique hoſtium reliquis magis patet, aggeribus quibuſdam erectis, certaſq; Dragonum cohortes, ac ruſticorum aliquot millia ad prohibendũ collocans aditum. Appropinquante dictæ Portæ Ferreæ Huſzaim Paſsâ, Purpuratoq; Budenſi, cum Principe Barcsaio ſubſequente, ſitu locorum, erecto aggere, ejuſq; cuſtodiâ, per exploratores priùs cognitis, facillimum erat per ſylvas, iis circumitis, Dragones, ruſticoſq; ad defenſionem ejus relictos à tergo adoriri. Viſis ruſtici ex inopinato à tergo hoſtibus, panico omnes terrore compulſi, latebris ſylvarum ſalutem quærunt; deſerti ab iis Dragones, paululùm reſtitêre, verùm tàm numero quàm viribus impares, pleriſque cæſis, omnes in fugam compulſi, quos dum acriùs uſque ad marginem ſylvarum, initiumque camporum perſequitur

Huſzaim

Huſzaim Paſſa, ex vico Kernyeſd non procul illinc diſtante, octo prodeunt Rakocianorum vexilla, quæ ad ſubſidium peditum diſpoſita, non priùs, verùm ex fugâ Draganorum intellexêre alpes penetraſſe hoſtem. Huſzaim Paſſa itaq; univerſas Principis Rakocii copias præſentes autumans, ſubſiſtit, tres è captivorum numero Purpurato Budenſi remittens, *acta renunciat, Rakociumque præſentem credens, ut maturè ſibi ſubveniatur, rogat.* Verùm cohortes ab ipſo viſæ terrore pariter perculſæ retroceſsêre.

Auditis his Szejdi Amhet Paſſa Purpuratus Budenſis, nullâ in exercitu ſuo diſpoſitione factâ, nec diſtributis in ordines copiis, ut ſe cuncti extemplò ſequantur, imperat, citatoq; provectus (ſicut quorũlibet equorum vires ſuppetebant) curſu, reliquis ſubſequentibus, alpes (aliàs ſatis difficiles ac latas) velociſſimè tranſit, Huſzainoque qui depoſito hoſtis metu ſub alpibus, juxta vicum

viçum quendam eis proximum ſubſtiterat, conjungitur.

SECTIO XVIII.

OCcupatæ Portæ Ferreæ, profligatorumque Dragonum rumor ad Principem Rakocium jam pervenerat, diſtributas quocirca per vicos univerſas ſuorum copias, celerrimè colligit, inſtructumq́; eodem die verſus hoſtem ducit exercitum, qui peditatu, tormentis, magnâq́; cum impedimentis equitatûs parte ultra alpem relictis, ſi uti ſciviſſet victoriâ, certo certiùs erat lõgè ipſo debilior; verùm hæc omnia apud eum ignota. Circa oçcaſum itaque Solis, ipſius ſimiliter præſentiam hoſte ignorante, non procul ab eo ſubſtitit. Sequebantur interim ſingulis ferè quadrantibus Purpuratum Budenſem ultra alpes relictæ ejus copiæ, totus tamen eodem die cum tormentis aberat peditatus, ſatis præterea magnus cum impedimentis reſtabat equitatus;

Adito

Adito PurpuratusBudēsis circa vesperam cum Primatibus Turcicis Principis Barcsaii tentorio, quid sequenti die facto opus, tractatum. *Ut eodem, ubi tunc fuêre, sequenti quoque die subsequentium militum opperiantur appulsum, placuit universis. Quia verò de Principe Rakocio (ubinam esset) nihil apudeos constabat, ut Huszaim Passa cum duobus equitum millibus oppidum Haczog versus exploratum, Michaël verò Toldalagi cum mille equitibus sub arcem Kendesiorum (Kolcz dictam) sequenti die eat, congregatosque illuc Nobiles cum plenariâ assecuratione ad Principem Barcsaium deducat, conclusum.* Quies interim in castris utrisq; quamvis vicinis, sed invicem se ignorantibus, fuit. Tres in aurorâ tormentorum explosiones in castris Turcarum auditæ, signum iis ad pugnam se paratum venire significante Principe Rakocio: sed tunc quoque Devæ, aut Hunyadini tormenta explosa creditum à

Turcis,

Turcis, facilem quocirca, si incautos, tormentis, peditatuq; destitutos in castris fuisset adortus, Princeps Rakocius habuisset victoriam. Sed manet inevitabile fatum. Prodeunt lucescente jam die, reliquis pabulatum in pagos & campos excundi facultate permissâ, cum tribus equitum millibus, ad destinata abitura loca Huszaim Passa Michaelque Toldalagi. Adit Principem Barcsaium cum paucis Purpuratus Budensis, *Utrum se comitari, cum dictaque equitum manu Huszaim Passam ac Michaëlem Toldalagi discedentes, spectare velit, interrogat.* Annuit ille, cum paucisque sequitur vocantem. Dum itaq; paululùm versus campos ab iis fuisset progressum, *auriga quidam pabulum egressus, instructum se vidisse Rakocii exercitum fugâque vix saluti suæ consulere potuisse, refert.* De cujus dum verbis dubitatur, Huszaim Passa, Michaelque Toldalagi, relictis in campo prædictis tribus equitum millibus, super-

perveniunt, *à seque Principem Rakocium instructo cum exercitu præsentem visum referunt.* Non tamen rediit in castra Purpuratus Budensis, *verùm officialibus quibusdam ad educendum è castris exercitum remissis, toties dictis tribus equitum millibus conjungitur*, colliculumque conscendens, exercitum principis Rakocii ipsemet oculis perlustrat. Paratam, si moram trahere desiisset, in manibus videbatur habere victoriam princeps Rakocius, verùm per complures inutiliter subsistit horas, tempusque purpurato Budensi datum, suos è castris educendi. Cujus moræ hanc demùm intelleximus fuisse causam: Exercitus principis Rakocii, dextrum cornu, (si ab Oriente Occasum versus tendentes consideres) rivulum transitu difficillimum habebat ante se, limosa præterea loca, vix singulis (antea) pervia, ut illic exercitum commodè posse traduci nemo incolarum istius regionis sibi persuadere posset, munimento

mento itaque (ut putabat) naturæ plurimùm fidens, debiliorem exercitûs sui partem huc collocans, ut per avia illa penetrare volentes, cœnoque implicitos, in ipso transitu opprimeret hostes, destinaverat in animo.

SECTIO XIX.

PRodibant instructæ interim è castris Turcarum cohortes, quas dum Purpuratus Budensis instruit, peditum quoque pars ipsi jam pugnam inituro supervenit. [1659.] Acies verò utriusq; partis hoc ordine erant dispositæ. *Turcicis, Hungaricisq; copiis quidam pagus, juxta quem antiquissima cujusdam urbis à Romanis (ut fertur) olim inhabitatæ, ruinæ vestigiaque cernebantur. Princeps Rakocius ab ortu ad occasum, Turcæ verò ab occasu ortum versus inter se congressuri erant. Infra vicũ quicunq; dextrum Hungarorum cornu invadere præsumerẽt, (ut superiùs) rivulum transitu difficilem, uliginosaq; transeundum*

ipsis

ipsis erat loca; Sinistrum Rakocianorum cornu juxta ruinas (imo in ipsis peditatus antiquæ urbis ruinis collocatus) ingentem transituq; difficilem ante se fossam habebat: Totum verò exercitum in plurimas, easque non satis validas (si Turcarum, qui paucas sed confertissimas solent in pugnã deducere cohortes, consuetudinem consideres) dispertiverat Princeps Rakocius turmas, adeò in latum porrectas, ut amplissimâ istâ planicie occupatâ, utraque cornua montes pertingerent. Purpuratus econtrà Budensis, mediocri equitatûs parte, omnique (qui supervenerat) peditatu contra sinistrum Hungarorum cornu inter arbusta, juxta fossam jam dictam collocato, cum unâ sed confertissimâ suorum (quæ ex viginti quatuor vexillis constabat) turmâ, ex colle ubi tamdiu steterat, deorsum se flectens, uliginibusq; ac rivuli impedimẽtis felicissimè ac celerrimè superatis, adeò vehementer in dextrum Hungarorũ cornu invectus est, ut Sigismundo

Vér,

Vér, primario cohortium istarum Capitaneo ante alios cadente, extemplò omnes fugam capesserent, subsidiariis quoque ejus cornu aciebus eandem subeuntibus fortunam. Non pugna sed cædes jam in illis erat partibus, grassabanturque cædibus inter Hungaros victores Turcæ, sinistro Rakocianum cornu, in medioq; (inter quos erat ipsemet Princeps Rakocius) collocatis cohortibus sine pugnâ stantibus, quos propter prædictas difficultates nemo invadere præsumpserat. Videt cladem suorum Princeps Rakocius, tribusq; vexillis Hungarorum Onadianorũ in latus victoris invectus, prætorium Purpurati Budensis vexillum, complurimis ex Aulicorum ejus numero cæsis in fugam vertit, totãq; procul dubio ad internecionem delevisset, nisi visâ Purpuratus ipse Budensis suorum fugâ, à cæde Hungarorum reversus, vexillifero proprio, Magnateq; quodam propter fugam occisis, fugientes suos subsistere coëgisset, tandem victrices quoq; ejus copiæ (quæ

hacte-

hactenus dissipatos, è dextro cornu Ungaros ceciderant, spoliarantque) supervenêre, quorum adventu extorta denuò è manibus Rakocii victoria, ipseq; cum tribus suis cohortibus, nonnullis tamen prius è hostibus per se animosè occisis, fugâ sibi consulere cogitur.

Steterant hactenus immota in sinistro Rakociani exercitûs cornu acies, sed illæ quoque eodem temporis momento, (deserto integro peditatu) nemine persequente, avolarunt.

Ad opprimendum tandem Principis Rakocii peditatum confluxêre circumcirca victores, qui è ruinis prædictæ urbis viriliter aliquandiu se tutati, ad internecionem tandem cæsi. Periêre tria circiter millia è Rakocianis; centum vigintiquinque, iisq; per tres solas Rakocii cohortes cæsis ex parte Turcarum. Occupata octo Principis Rakocii tormenta, quorum nullus eo die usus. Castra eodem loco fixa, lecta per otium spolia, donatiq; pro singulis cæsorum capitibus

per

per Purpuratum Budensem victores.

SECTIO XX.

REfectus trium dierum quiete victor exercitus, impedimentis, quæ seriùs appulerant, ad se receptis, versus fluvium Sztrigy tendit, transfertq; juxta oppidum Piski (quod unum Devâ distat miliari) castra. Pergit ad videndam, quæ morbo gravi laborabat conjugem, illinc Devam Princeps Barcsaius, totosq; sex dies ibidem tempus terit. *Purpurato Budensi, cur profligatum nolit persequi hostem, multum expostulante, cum inutili hâc morâ*, tempus suos recolligendi dari Principi Rakocio, quilibet perspiceret. Nec occasionibus suis ipse Princeps deerat Rakocius, suos enim reparādi præter propriam opinionem tempus nactus, *Turcam, qui non virtute, sed casu victoriam esset adeptus, suæ imbecillitatis conscium, ulterius non audere inviscera regni penetrare, ideoque ibidem oppri-* men-

mendum, *evulgat per literas.* In magnamq́; talibus ſcriptis ſpem denuò multorum animos erigit; Movit tandem poſt inutilem hanc moram Albam Juliam verſus cum Purpurato Budenſi Princeps Barcsaius, caſtraq́; juxta oppidum Alvincz metatur, Rakocianis (qui pro excubiis ſub directione Joannis Tôrôk ibi relicti erant) ad Principem Rakocium penes caſtellum Radnot caſtra habentem (nemine ex iis intercepto) ſe fugâ recipientibus, ob idq́; ubinam Princeps Rakocius moram traheret, Turcis, Principeq́; Barcsaio ignaris. Vincino Albam Juliam, illinc Tordam verſus moto exercitu Turcico, juxtaq́; vicum Decse caſtra locante, *ruſticus quidam ad Principem Barcsaium ductus, duo circiter millia peditum ex Hungariâ in ſuccurſum Principis Rakocii properantium, Turcarum adventu intellecto, Tordam verſus reverſa eadem ſe horâ vidiſſe jurat.* Nec dubitetum; Relicto itaque in ca-

F ſtris

ſtris Principe Barcsaio, Purpuratus Budenſis celeriter conſcenſo equo, plurimiſq; ſuis ſequentibus, aſſequitur juxta civitatem Tordam prædictos pedites; *Qui eo viſo perterriti, tripartito disjuncti, accelerabant iter, pars (quæ fermè tota è tyronibus conſtabat) relictâ ad dextram civitate, verſus montes ſe recipere cæpit, verùm Huſzaim Paſsâ cum Agrienſibus ſuperveniente, tota concisa eſt. Pars, relictâ ad lævam eadem civitate inſequentibus hoſtibus, juxta ſalisfodinas periit. Reliqui verò, qui cum Turcis in Hungariâ bellare ſoliti, veterani ferè omnes, in unum conglobati corpus, viriliter ipſummet Purpuratum Budenſem in plateâ dictæ civitatis excepêre, complurimiſque utrinque cæſis, ſuperveniente nocte, potiori ex parte incolumes diſceſsêre.* Rediit Purpuratus Budenſis, propter magnatem quendam cum plurimis gregariis amiſſum, nec deletis plane hoſtibus, non ſatis lætus in caſtra ad

ad Principem Barcsaium. Sequenti die Gerendinum (castellum est Joannis Kemenyii) illinc (incerto quidem) Principis tamen Rakocii juxta Vasarhely tunc morantis rumore perlato, Radnotinum translata sunt castra. Quo Princeps Rakocius audito, sub noctem Vasarhelyino Désinum versus discedens fugâ sibi consuluit. Eodem Purpuratus quoque Budensis sequenti appulit die, ubi per complures cum Principe Barcsaio commoranti dies, ex utraq; Valachiâ hæc nova afferuntur.

SECTIO XXI.

Exulem quendam Principem, Constantinum dictum, cum Clemente Mikes, certâque selectorum Siculorum manu, ad exturbandum (ut superius dictum) ejus regni Principem expediverat Princeps Rakocius, qui imparatum aggressus facile regno exturbat; Verùm eodem, cum Sulteno Galgâ, multis Tartarorum superveniente millibus,

cæsis magnâ ex parte Siculis, Constantinum elapsum cum reliquiis devicti exercitûs venire affertur.

Similiter Valachiæ quoque Transalpinæ Princeps Mihne, qui fedus contra Ottomanicam Portam cum Principe Rakocio pactus, contra eam per dictum Principem sub Generalatu Michaelis Mikes, Andreæque Gaudi, certorum Germanorum & Hungarorum militum subsidio fultus erat, ipso, subsidiisque suis per Purpuratum Szilisztrensem, Tartarosque Bucsakienses profligatis, cum reliquiis suorum Transylvaniam ingressum, Cibinium versus (ea est civitas totius Saxonicæ nationis in Transylvaniâ metropolis) tendere, seque cum Principe Rakocio velle conjungere, allatum. Movêre hæc purpuratum Budensem, cum principem Rakocium, Constantinum, ac Mihne Principes, ex tribus hostes futuros partibus sibimet persuasisset. Regnicolæ quoq;, ac eorũ copię, ad iteratas principis Barcsaii literas

ras non comparentes augebāt ejus metum, incitabantque ut honestâ aliquâ occasione imminentibus se subduceret periculis, nec id ipsum optanti tempus defuit, adeò enim intensissima per eos dies fuêre frigora, ut ulteriùs miles vix in campis subsistere posse videretur. *Latus itaque arripit occasionem, nec se potentissimi Imperatoris exercitum frigore enecaturum dicens*, Medgyesinum versus (ea est civitas Saxonicalis) adeò tamen lento reducit castra passu, ut per complures, ubi placuerat, subsisteret dies; Medgyesino Balasfalvinum translatis castris, ibi tàm suorum quàm (qui intererant) Hungarorum proceribus convocatis, *ut sufficienti Turcico præsidio munitus civitatem Cibiniensem ingrediatur, ibique exactâ demùm hyeme subsidia potentissimi Imperatoris Princeps Barcsaius expectet, conclusum.* Purpuratum Budensem cum exercitu retrocedere, Principi Rakocio juxta oppidum Dés hærenti celeriter iñotescit,

ſcit, qui fugam id ipſum ratus, (vel veriùs credidiſſe ſimulans) *ut fugientes Turcas, univerſi (cujuſcunque conditionis exiſtant) regnicolæ, perſequantur*, *per celeres denunciat tabellarios.* A multis (maximè ruſticis ignaris militiæ) creditum confeſtim; Quorum non parvus numerus, dum Purpurato Budenſi caſtra ad Balasfalva habente, pabulatores ejus ex inſidiis adoritur, excitæ è caſtris cohortes plurimos interfecêre, adducti quidam vivi, *quos auribus ac naribus mutilatos ad meſſem ac aratra redire juſſit.* Ex iiſdem caſtris cum mille peditibus Janizaris, quingentiſque equitibus Cibinium expedito Principe Barcsaio, ipſe lento gradu Temeſvarinum verſus tendens, tandemque eodem regreſſus in hyberna diſtribuit exercitum. Nondum Principi Rakocio quid in reditu Purpuratus Budenſis facturus, quove Princeps Barcsaius ſe recepturus eſſet, cognitum erat. *Speculatum itaque, & (ſi occaſio*

ſuppe-

ſuppeteret) *plura quoque tentaturum Michaëlem Mikes cum ſeptemdecim præmittit vexillis*, ipſomet interea Claudiopoli ſubſiſtente. Cognitum Michaëli Mikes principis Barcsai iter, cognitus comitivæ numerus, quippe qui vix dimidium ab eo diſtabat miliare, nihil tamen contra eum auſus, cum ſibi adjunctis Cibinium permiſit ingredi incolumem, quo ingreſſo ſequenti dia oſtentavit præſentem ſe, è civitate ſpectantibus.

SECTIO XXII.

PUrpurati Budenſis egreſſu, Principiſque Barcsaii in civitatem Cibinienſem ingreſſu cognito princeps Rakocius, maturat illac in perſonâ profectus, lentà urbem premere obſidione, diſpoſitoque per circumjacentia Cibinio oppida exercitu, ipſemet in oppido Selimberk (quadrante miliaris ab urbe diſtante) ſubſiſtit. Juſtas quidē ad eam expugnandam vires ſibi deeſſe

conſcius, interim (perſpecto mobili Principis Barcsaii animo) diſſenſione aliquâ ſubortâ, deditionem ejus ſibi promittens. Tormentiſq; muralibus quinq;, nonnulliſq; minoribus Fogaraſino advectis, Andreæ Gaudi Colonello ſuo urbem quatiendam committit. Qui tàm præſidio quàm civitatis Cibinienſis incolis contemptis, prædicta tormenta ab Oriente, contra propugnaculum (quod Hallerianum appellatur) collocat, nullas ad defenſionem eorum foſſas, aut aggeres erigit, paucas adverſus propugnaculum, plures in urbem per complures ſeptimanas, levi tamen cum ædificiorum, nullo præſidiariorum damno facit exploſiones.

Promiſſis interim variis, quandoque minis, mobile Principis Barcsaii ingenium ab obſequio Ottomanicæ Portæ avulſum, deditionem urbis facere tentat Princeps Rakocius. Nec fuiſſet labor irritus, niſi præſidium Turcicum, Conſiliariiq;, ac nonnulli Hungarorum

rum proceres urbem cum ipso ingressi, exitium regni prævidentes, dissensissent. Quamvis enim subsidium Imperatoris Turcarum indesinenter per literas imploraret dictus Princeps, fratre tamen suo germano, sub prætextu aliarum rerum ad Principem Rakocium (in oppidum Selimberk) misso, arcis Devæ, civitatisq; Cibiniensis (quæ solæ in fidelitate ipsius perstiterant) deditionem, renunciationemq; principatûs concludit. *Curiam quandam Oermenyes dictam, cum bonis ad eam pertinentibus, pro his omnibus optans; Quam Princeps Rakocius (imò decuplo etiam majora) se libentissimè daturum spondet. Certa praterea aureorum millia, commeatum sufficientem, securumque iter præsidio Turcico pollicetur.* Reque (quasi conclusâ) Andream Barcsai benè potum in urbem remittit. *Regressus ille, Principi Barcsaio fratri suo rem conclusam, ejusque conditiones, aperit: latus audit ille, Consiliariisque ac Ma-*

gnatibus Hungaricis convocatis, animum ſuum, remque concluſam aperit, inter reliqua (ſalvo honore ſit dictum) pro Tranſylvaniâ, tanquam à ſcortis natorum regno, ſe, morboque Devæ jacentem chariſſimam ſuam conjugem non ampliùs periculis objecturum, iteratis dicens verbis. Humilique ſorte (curiâ nimirum Oermenyeſienſi) contentum ſe refert.

Obſtupuêre his auditis illi, quo fundamento, quave ſui ac regni ſecuritatis ſpe Principi Pakocio adhærere vellet ſciſcitari cæpêre: Utrum eum armis Ottomano parem putaret, aut aliqua ſuppeterent cum eo paciſcendi media, intelligere deſiderantes, quibus utrisque deſtituto Principi Rakocio adhærere, non eſſet ſanæ mentis? Hæſit ad hæc Princeps Barcsaius, tandem, uſque ad tempora vernalia, beatam ſe cum dicto Principe vitam victurum, ineunteque æſtate libenter cum eodem periturum reſpondet. Nec aſſenſum in re tam exitiosâ

tiosâ

tiosâ ab eis. Officialibus præsidii Turcici, magistratibusque civitatis eadem die convocatis, ad conclusam per fratrem suum ditionem eos quoque inducere nititur, sed ab iis acriùs reclamatum.

SECTIO XXIII.

PRoposito itaque illo, Rakocius, Barcsaiusque Principes unâ delusi, aliam id ipsum assequendi ingrediuntur viam. Turcicum præsidium, certus Hungarorum nobilium numerus, præter ejusdem urbis incolas, urbem protegebant; Dissensionem inter tres prædictas nationes Princeps Barcsaius spargere cæpit; *nonnunquam apud cives, insolentias præsidii Turcici in majus extollendo, antequam omnibus affecti contumeliis, manibus Principis Rakocii per eos assignarentur, maturarent urbis propria facere deditionem, hortatur; Interdum Hungaros apud utramque traducit nationem: Quandoque de*

levitate civium qui ex plebe constabant, facileque insciis extraneis, cum proprio commodo, illorumque exitio cum Principe pacisci poterant Rakocio, apud Turcas loquitur, dum honestam, utilemque facere deditionem in potestate eorum esset, ne occasioni præsenti, facileque peritura deessent, monens. Tantaque his technis inter eos confusio orta, ut ferro plerumque inter se in urbe confligere voluerint. Serò propriis difficultatibus edocti, dissensionibusque universos perituros prævidentes, ad mutuam rediêre concordiam.

Congregatique è dictis tribus nationibus ad Supremi civium magistri ædes primores; Ex Hungaris Franciscum Keresztesi, Comitem Comitatûs Tordensis, regniq; Consiliarium; ex civibus duos Primarios; ex præsidio Turcico Budensium & Agriensium Janizarorum Agas, legatos ad Principem Barcsaium expediunt: *Ut sedatis affectibus cum patientiâ sucoursum Otto-*

mani-

manicæ Portæ præstoletur, nec ab eâ desciscendo, seque, regnumque extremo objiciat periculo, hortantur. Si verò principatui valedicendo, privatam vivere vitam apud se conclusit, expeditis ad Portam Ottomanicam legatis, pro Principe Rakocio intercedat, ex annuentiâ ejus, sive ei, sive alteri cuilibet parere, deditionemque facere urbis se paratos esse, dicunt.

Expavefactus audit hæc dicentes Princeps Barcsaius, tandemq; in hæc erupit verba: *Principatu vos me velle exuere, ex præsenti constat legatione, cui tamen minimè renunciaturus sum.* Præ cæteris Gabrieli Haller, Joanniq; Betlenio, quibus ante alios tractatum suum, cum Principe Rakocio clàm initum, aperuerat, eidemque ipsos adversari intellexerat, indignabatur; Nullo præterea legatis responso dato, ipsos dimisit. Eodem die Hungarorum (exceptis Gabriele Haller, Joanneque Betlenio, qui non vocati aberant) Saxonum,

xonum, Turcarumque primoribus in palatium vocatis, *prolixis ad deditionem urbis eos hortatur verbis*, verum illi (nisi prædicti duo Consiliarii quorum integritas ipsis esset perspecta, interessent) nihil se responsuros asserũt, quibus advocatis, *prolixiùs eadem de materiâ tractat, nullo tamen approbante.* Vehementi quocirca percitus irâ, omni, sub totâ obsidione, curâ urbis neglectâ, compotationibus indulsit, officialibus prædictarum trium nationum strenuè interim defensioni urbis invigilantibus.

SECTIO XXIV.

INformatus de his per occultas Principis Barcsaii literas Princeps Rakocius, universis, maximè verò Gabriele Haller Joanneque Betlenio, renitentibus, non successisse propositum, irâ contra eos commotus, universa eorum bona prædæ suorum exponit. Unius præterea (Joannis Betlenii) uxorem

cum

cum filiola quinquenni in captivitatem afferit, nullo tamen cum emolumento. Rebus sic fluentibus unanimi totius præsidii Cibiniensis consensu, octavam circa cujusdam diei horam matutinam, eruptio contra Rakociana tormenta (quæ nullis defensis munita dictum est) felici cum successu tentata est, pedites enim pro custodiâ eorum locati, priùs sensêre quàm vidêre hostem, iisque magnâ ex parte cæsis, Colonellus Gaudi, sine pileo, discinctus, degeneríque sine ephippio insiliens equo, vix evasit; Incensus (qui aderat) pulvis pyrius, tormentum grande, duoque minora in urbem translata, reliquorum foramina clavis occlusa ferreis. Properat ad succursum (sed confecto negotio) Princeps Rakocius; Regressi in urbem cum ademptis tormentis, vexillisque victores, Principi Barcsaio ab hostibus invito se parta offerunt vexilla, ab eoque quamvis subtristi muneribus afficiuntur. Victoriæ lætitiâ, largoque

goque vini potu nonnihil exhilarati præsidiarii ac cives, iteratam finito prandio majori cum apparatu moliuntur eruptionem. Sed quo negligentiores mane, eo vigilantiores pomeridie invenêre Rakocianos. Ipse Princeps Rakocius universas equitum suorum copias post latus cujusdam montis instructas tenebat, tormenta ex quibus clavi ferrei eximi potuêre, contra ingruentes onerata & directa: Nihil tamen his difficultatibus præpediti erumpentes, animosè tormenta contra eos explosa invadunt, pedites, nonnullis cæsis, in fugam conjiciunt, pulverem succendunt pyrium, foramina tormentorum validiùs quàm antea clavis occludunt ferreis, quibus dum occupantur, cum universo supervenit equitatu Princeps Rakocius, resistitur tamen ad occasum usque Solis ipsi, circa vesperam æquo tandem Marte discessum, omnibus (præter unicum) incolumibus in urbem regressis. Retrahit sequenti

quenti nocte destructa Princeps Rakocius tormenta, diebusq; nonnullis refecta, versus occasum solis aggeribus more militari erectis, civitatem Cibiniensem tormentis quatere nititur, irrito tamen cum effectu, magna enim loci distantia, risui potiùs quam terrori erat urbi. Animadverso Colonellus Gaudi vitio, paulatim urbi appropinquans, tres successivè erigit aggeres, in proximioriq́ue collocatis tormentis, partim propugnaculum quoddam urbis, partim verò ipsam urbem tormentis quinque quatere non desistit. Nec his contentus, ignitos sub noctes in urbem globos jaculatur sine fructu. Totâ hyeme particulares è civitate adversus obsidentes eruptiones, illorumq; cum his pugnæ, cum levi nunc hujus, nunc illius partis damno continuatæ. Cognita hæc cuncta Ottomanicæ Portæ, quamvis enim tabellariorum quidam naso, auribusque mutilati, quidam verò palo per Rakocianos insuti, duo

tamen

tamen feliciter iëre ac rediëre, de subsidiis Vere ineunte mittendis assecurationem reportantes. Purpurato interea Budensi, ut universis Europæis Turcarũ Imperatoris exercitibus congregatis, Hajdonibus, qui præcipui semper Principis Rakocii promotores extiterant, priùs deletis, eum regno exturbet, obsidionemq́ue solvat Cibiniensem, demandatum. Paret ille, congregatisq́ue, præter lixas & calones, vigintiquinq; circiter millibus armatorum, motis mense Aprili castris, trajectoq́; juxta oppidum Fellak Marusio, versus regionem Hajdonum dirigit gressum.

SECTIO XXV.

COgnita hæc obsidionẽ Cibiniensem continuanti Principi Rakocio, *Vice Capitaneo quocirca Varadiensi Francisco Gyulai, ut Haidonibus Comitatuque Bihariensi congregatis, imminenti resistat hosti, demandatum.* Qui dicto audiens, eorum quos memini cohorti-

hortibus suffultus, vadum fluvii Hortobágy, quo hosti, Hájdones invadere volenti necessariò transeundum erat, occupat, literisque per rusticum quendam ad Purpuratum Budensem (Szejdi Amhet Passam) missis, *nisi cum suis periclitari velit, ut à suscepto desistat itinere, hortatur.* Purpurato prædicto, unico à fluvio Hortobagy miliari castra habenti allatæ sunt literæ. Qui convocatis extemplò primoribus, *minis se Francisci Gyulai territum, ulterius non audere progredi simulat. Mirantur hominis (aliàs) audacissimi simulatum illi timorem, inceptoque ne desisteret, cum in acie fortiter dimicando cadi, quàm jussu Imperatoris ignominiosam subire mortem honestiùs sit, hortantur.* Post vanas tandem simulationes, classicum repentè canere jubet, totoque exercitu celeriter moto, priùs prædictum fluvii vadum superat, quàm de ipsius itinere quicquam Hajdonibus Gyulaioque constaret. Visis itaque ab eorum

eorum excubiis Purpurati exercitûs antecursoribus, relictis (sicut cœnæ assidebant) ferculis, cultris, aliaque supellectili, velocissimè omnes, quò quemque metus ferebat, nemine persequente aufugêre : Franciscus Gyulaius ex fugâ Varadinum se recepit. Purpuratus Budensis eodem unde illi fugerant locat castra, quod unicum familiis Hajdonum salutem peperit, sub noctemque ad tutiora secedendi occasionem præbuit, eodem enim die persequentibus eas Turcis, omnes in propriis opprimi potuêre domiciliis.

Sequenti die ad populandum egressi Turcæ, totam circumcirca regionem, usque ad oppidum Bihar, quod Varadino unicum saltem miliare distat, rapinis, incendiisque replevêre, Franciso Gyulai, qui exitium Purpurato Budensi minatus fuerat, incendia ac fumos è muris prospectante, ob idque metu perculso. Similis Varadiensis quoque urbis incolas terror invaserat,

con-

congregati itaque universi, quid facto opus sit, cum dicto Vice Capitaneo consultant; *tandem quicquid per eum cum Purpurato Budensi fuerit conclusum, sanctè se observaturos, praeunteque reliquos jurantes ipso Vice Capitaneo Vice Comitem Comitatûs Bihariensis Martinum Boldvai jurejurando assecuratum, ad eum cum adjunctis destinant legatum. Qui durioribus primùm verbis ab eo exceptus, tandem in gratiam recepti Varadienses, populationes, incendiaque prohibita, quòd tempestivè ad obedientiam redeundo, imminentia non praecavissent pericula, quibus libenter se parsurum fuisse jurat per caput potentissimi Imperatoris sui, negligentiae eos multùm accusante Purpurato; nihilque aliud nisi contra Principem Rakocium, capitalem Ottomanicae Portae hostem certas sistant cohortes, imperat.* Relata haec per dictum Vice Comitem Martinum Boldvai, grataterq; accepta à Gyulaio Varadiensibusque. Destina-

ſtinatus cum tribus ipſemet Vice Comes cohortibus, nonnullis è numero primorum ſuperadditis, qui conjungens ſe Purpurato Budenſi, fuit tam itineris, quàm pugnæ, quæ inter eum ac Principem Rakocium paucos poſt dies commiſſa eſt, individuus comes, ut inferius patebit.

SECTIO XXVI.

PRogreſſus verſus regionem Szilágy dictam cum exercitu Purpuratus Budenſis, caſtellū Pocsaj dictū, (quod inter paludes fluvii Hortobágy per Georgium Rakoci ſeniorem erectum, cohorte Germanorum peditum, Hungariſque multis illuc ſe recipientibus munitum erat) uno prætererat miliari, dum contra impedimenta ſe ſequentia, eruptionem illinc factam, nonnulloſque cæſos, audit, fremit, læſus ab iis, quos lædere noluerat; Totoque cum exercitu regreſſus, quamvis circumcirca aquâ humerotenus profundâ, quin

imò

imò noñullis in locis eò profundiore, quæ nonnisi nando superari poterat, esset munitum, ipse inter natantes totus madidus, unico cepit insultu, universisq; cæsis, aut captis, castellum ipsum solo æquavit. Ulterius illinc per regionem Szilagy dictam Transylvaniam versus progressus, castellum Principissæ Rakocianæ Somlyo, priùs expilatum, comburit.

Cognita hæc cuncta Principi Rakocio, obsidionem Cibiniensem solvere eum coëgere, generalem itaq; universis regni exercitibus expeditionem bellicam indicit, paruêre cuncti, maximè verò Siculi, quorum vix major numerus memoriâ nostrâ in castris apparuit; Francisco quoque Gyulaio ac Varadiensibus, ut quanto plures possent in subsidium suum transmittant copias, demandatum. Qui, Martinum Boldvai, Comitatûs illius Vice Comitem, cum certis cohortibus, nonnullisq; nobilibus ad Purpuratũ Budensem per

cos

eos expeditum, ſeque firmiſſimè ipſis juramento obſtrictum, immemores, longè ampliores in ſuccurſum Principis Rakocii, quàm Purpurato Budenſi tradiderant, misêre copias. In pugnaque Gyaluinâ, raro in Tranſylvaniâ exemplo, invicem cohortes Varadianæ inter ſe conflixêre, ſicut inferius clariùs patebit.

SECTIO XXVII.

LImitibus Tranſylvaniæ appropinquante Purpurato Budenſi, cum ſtipendiariis, regniqúe exercitibus, inter Claudiopolim, vicumqúe Szamoſfalva, juxta fluvium Samoſium habebat Princeps Rakocius caſtra, auditaqúe exercitûs hoſtilis numeroſitate, ſuos ampliare ſatagens, omnium delictorum per Sacrificulum quendam pagi Csüiüllye, immunitate Valachis prædonibus promiſsâ, ſexcentos ex iis congregatos ſecum habebat, univerſis præterea ruſticis, ut contra commu-

nem

nem Christianitatis hostem armati prę-sto essent, injunctum: verùm illi an-gustiâ temporis exclusi interesse ne-quivêre. Exercitibus interea Turcicis appropinquantibus, motis Princeps Rakocius castris ultra Claudiopolim, inter eam, arcemq; Gyalu, illinc ulte-riùs progressus inter pagum Kapus, ar-cemq; Gyalu figit castra. Hoste unius saltem diei itinere ab eo distante, pri-matibus, universisq; exercitûs officia-libus cōvocatis, quid facto opus sit, de summâ rerum consultatur. Apparebat-que Principem Rakocium, multitudi-ne hostis motum, spe majoris contra-hendi ex Hungariâ exercitûs, ad retro-cedendum fuisse proniorem.

Verùm officiales pleriq;, inter quos Michaël & Clemens Mikes, Andreas Gaudi, Siculorum, stipendiariorum-que cuncti fermè Capitanei, pugnam vehementer urgebant, quin potiùs An-dreas Gaudi, (cujus maxima in re mili-tari erat opinio virtutis) plus justo

cominotus, nisi pugnaretur, depositis in perpetuum armis, anui cuidam se serviturum dicit. Intellecto cunctorum Princeps Rakocius consensu; *Ex visceribus suis quoque non lac sed sanguinem effluxurum respondit*; (Vetus illud apud milites inter Hungaros proverbium.) Decernitur itaque pugna, castraque ultra arcem Gyalu reducta, inter eam, vicumque Fenes collocantur. Purpuratum Budensem cum suis Claudiopoli imminere, castraque inter eam ac pagum Szamosfalva fixisse eadem die auditum, ne itaque per eum ex improviso opprimeretur, eadem die, noctéque sequenti instructum cogitur Princeps Rakocius tenere exercitum.

Castra Purpurato Budensi in vicinia civitatis Claudiopolis (ut præmissum) habente, Martinum Boldvai Comitatûs Bihariensis Vice Comitem, quem cum certis cohortibus ad se à Vasadiensibus missum, secum habebat, acciri

acciri jubet, ut tribus è nobilibus ſibi ſubjectis Claudiopolim expeditis, nomine ſuo deditionem urbis, commeatuſque iis imperet, demandat. Joañem Szilágyium, Stephanum Décsei, ac tertium, de cujus nomine non conſtat, mittit ille. Qui urbem ingreſſi, extemploque à civibus, nec omnino inviti, (præcipuè Joannes Szilágyius, qui Rakocianis ſemper partibus adhęſerat) ad Principem Rakocium ſunt miſſi. Qui auſterioribus ab eo excepti verbis, in captivitatemque conjecti, inſcio (ut plerique aſſerunt) dicto Principe, juſſu Andreæ Gaudi paulò pòſt occiſi. Quos ad Principem Rakocium miſiſſe, visâ exercitûs Turcici multitudine, eodem die pœnituit Claudiopolitanos, terrore enim perculſi, largo in caſtra Turcica commeatu præbito, non ipſis cogentibus, ſed ſuapte eos ad P. Rakociū iviſſe, juramento (utrum verè ipſi norint) aſſerunt. Proximè ſequenti die (ſabbato nimirum) ad pugnam utri-

que se accingunt, quod ut exactiùs intelligi possit, Turcicum ab Oriente Occidentem versus, Principis autem Rakocii exercitum ab Occidente Orientem versus inter se congressos considetes; Acies autem inter se oppositæ hoc modo dispositæ erat.

SECTIO XXVIII.

Claudiopolim, vicumque Monostor transgressus cum suis Purpuratus Budensis, juxtaque oppidum Fenes (cum eâ dispositione ut confestim tentoria erigerent, quod etiam factum) relictis calonibus ac impedimentis, peditatum omnem (inaudito antea apud nos exemplo) in duo exercitûs dividit cornua, partem à dextrâ fluvium Samosium (qui vado facilè illic transiri poterat) trajicere, ex nemoreque quodam à latere Rakocianos ferire jubet; partem à lævâ sub radicibus cujusdam montis excelsi, versus pagũ Lona tendere, à tergoque hostes adoriri mandat: Equitatum

tatum verò, quo adeò abundabat, ut vix, imò ne vix quidem caperet in uno dispositos ordine istius loci planicies, in duplicatum digerit corpus, Huszaim Passam, qui antea Agriensibus, tunc Jeneiensibus ac Temesvariensibus praerat, cum viginti circiter vexillis in unam aciem coactis, precedere jubet, ipse verò reliquo equitatu in unam eamque contiguam aciem disposito, totam implet planiciem, ipseque cum equitibus Varadiensibus Vice Comiteque Martino Boldvaî ac propriâ prætoriâ cohorte medius subsistit; contingente tàm à dextrâ quàm sinistrâ peditatum equitatu.

Princeps Rakocius ex adverso, numero militum longè inferior, sic disposuerat acies: Quamvis exercitus ipsius totam planiciem (quemadmodum Turcicus) minimè impleret, ne interim primæ cohortes subsidiis destitutæ flaccescerent duplicatas ipse quoque sed inter se distinctas ordinavit acies. Lævum Hungarici exercitûs cornu (quod dex-

tro erat oppositum Turcico) Gregorius Kováts cum decem vexillis in unum corpus redactis (veteranus miles) regebat, qui à dextrâ Siculos Sedium Siculicalium (provincias ita iis appellare mos) Sepsi, Kezdi, & Orbai, illi verò itidem à dextrâ reliquos Siculos in certas cohortes more militari dispositos habebant. In medio peditatus (qui tàm numero quàm robore mediocris) collocatus, octo in colliculo quodam tormenta campestria collocata habebat, à dextrâ ipsorum stipendiarii equites (præter Onadianos, quos pro sui custodiâ reliquerat, erant collocati, eis pariter à dextrâ Sacrificulus Csűrűllyei cum sexcentis adjunctus erat prædonibus, hæc erat tota exercitûs Rakociani prima facies.

In subsidiis à lævo suorum cornu Varadienses locaverat cohortes, quibus à dextrâ vexillum (quod Generale) cum aulicorum turmâ erat collocatum, à dextrâ itidem eorum, ipse Princeps cum decem cohortibus Onadianorum, quos

tan-

tanquam sibi fidelissimos, veteranosque milites ad incerta belli, suique custodiam reservaverat, erat præsens. Ulterius dextram versus tendendo in certas distributi cohortes Comitatus regni Transylvaniæ locati.. Lixas verò & calones, in maximam turmam coactos, à tergo reliquerant, qui quamvis procul visi, ampliorem vero repræsentabant exercitum Rakocianum, verùm (ut inferius patebit) sub initium pugnæ, fuga sibi consulentes, hostibus addidêre, suis verò ademêre animum.

SECTIO XXIX.

DIspositos hoc ordine contrarios exercitus, fluviolus transitu difficilis interfluebat, hostes in ipso transitu hæsitantes invadere Princeps itaque Rakocius decreverat, cui intentus, Huszaim Passam cum suis fluviolum transire satagentem, Gregorius Kováts, Siculique viriliter exceptum, cum toto suorum robore, plurimis cæsis, in fu-

gam compulêre; Properavêre in medio collocatæ quoque utriusque partis cohortes inter se pugnam inire, verùm prædicti rivuli difficultas (cujus supra meminimus) utrinque eas inhibuit, in cujus ripis, quamvis valde vicinæ, sine pugnâ stare cogebantur. Quo equitatus Turcicus perspecto, versus vicum Lona, sursum tendendo, alam exercitûs Rakociani dextram circuire cæpit, in quâ Sacrificulus Csürüllyei Georgius cum sexcentis prædonibus, ac stipendiarii equites Principis Rakocii erant locati. Quo lixarum & calonum à tergo relicta multitudo viso, tota, nemine persequente fugiens, Turcas ad pugnandum incitavit, suis verò etiamnum pugnantibus metum incussit. Similis cohortibus in primâ fronte collocatis strenuè adhuc rem gerentibus in medio collocatas quoque subsidiarias acies terror abstulit. Sacrificulus Csürüllyei cum suis prędonibus viriliter Turcas aggressus, universis amissis,

vix

vix cum paucis evaſit. Dum hæc inter dextrum Rakocianorum ſiniſtrumque Turcarum cornu gererentur, Huſzaim Paſſæ cum ſuis fugienti, ac penè perituro ſuccurrit Purpuratus Budenſis, Gregoriique Kováts ac Varadienſium cohortibus à toto exercitu ſecluſis, circumventiſque, in orbem eas pugnare cogit. Quas Princeps Rakocius videns extremè laborantes, properat ſuccurrere, periculoque eripere, cohortes Onadianas, quas pro ſui cuſtodiâ reſervaverat, ſe non ſequi minimè animadvertens, invadit itaque cum paucis animosè Turcas, occiſiſque ipſemet nonnullis, ingruente tandem multitudine, quatuor vulnera, duo in capite, reliqua in aliis corporis partibus ſuſtinuit, quorum unum læſo in capite cerebro, paucos poſt dies fatalem (ut inferius patebit) acceleravit ipſi horam, vulneratus tamen pugnæ per ſuos exemptus. Sub idē fermè tempus ſupervenere diſpoſiti ab utroque cornu Turcarum pedites,

dites, circuitiſque à lateribus ac tergo Hungaris, tanto omnes pavore in fugam compulêre, ut pars eorum obtrito proprio peditatu vitæ ſuæ conſuleret, reliqui quo quemque ſors ferret, dilaberentur. Gregorius Kováts (paucis exceptis) cum omnibus ſuis periit. Ex Varadienſibus, qui contra juramentũ nuper præſtitum (deſertis in periculo iis, quos cum Vice Comite Martino Boldvai ad Purpuratum Budenſem miſerant) in ſuccurſum Principis Rakocii venerant, pauci evasêre; totus peditatus conciſus; tormenta octo capta, vexillum prætorium (quod Generale appellatur) cum aliis multis interceptum, impedimentaque omnia. Imò (niſi Turcæ Hũgaros perſequi deſtitiſſent) ipſe Princeps Rakocius vulneribus debilitatus, ob idque equo ampliùs inſidere minimè valens, vivus in poteſtatem eorum deveniſſet: ſed iis ultra arcem Gyalu non progreſſis, carpento impoſitus per fluenta Criſii Varadi-

num

num versus, nemine persequente vectus, dictam tandem arcem ingreditur. Ne vulneribus quidem distentus despondens animum, missis quin potiùs per totum Transylvaniæ regnum literis, eos qui viriliter in pugnâ se gesserant laudat, ut ad bellum contra Ottomanum denuò se accingant animat, propediemq; se succursurum promittit. Verum decimo octavo post accepta vulnera die Varadini humanis exemptus, per filium, conjugemq; Ecsedinum transportatur.

LIBER TERTIVS.

BREVIARIUM LIBRI TERTII.

PRinceps Barcsaius Cibinio egress9 Purpurato Budensi (Szeidi Amhet Passa dicto) conjungitur. Cum eodem Hungariã versus tendit. Mortem Principis Rakocii certas ob causas aliquandiu celat. Gabrie-

lem Haller legatum ad Ali Passam expedit, qui ab eo arestatur. Ipsemet Princeps Barcsaius Ali Passam adit. Quem ille Varadinum versus secum ducens aresto subjicit. Gabrieli Haller compedes ferreas raræ magnitudinis injicit. Purpuratus Budensis Szejdi postquã Principẽ Rakociũ profligasset ab Ottomanicâ Portâ victoriæ ipsius adhuc ignarâ degradatur. Insignis fortalitii Varadiensis descriptio, obsidio, deditio. Princeps Barcsaius aresto, Gabriel Haller captivitate soluti Transylvaniam remeant. Rebellio Siculorum Sepsi, Kezdi, Orbai ac Csikiensium orta, aliquantulum compressa. Joannes Kemenyius Transylvaniam invadit, occupat. Principem Barcsaim principatu, mox vitâ exuit. Cum Imperatore Romanorum confederationem init. Purpuratus Ali Passa Transylvaniam invadit, urit, Kemenyium regno exturbat. Qui auxiliis Imperatoris Romanorum suffultus eam recuperare nititur, sed incassum. Ali Passa Michaëlem Apafiũ Principem Transylva-

sylvaniæ constituit. Ipse Temesvarinum in hyberna secedit. Kemenyius Apafium Sespurgi obsidet. Cui Kucsuk Memhet Passa succurrit. Cum Principe Kemenyio pugnam init, Triumphat. Kemenyius lapsu equi perit. Claudiopolis, Szamosujvar, Betlen, Kôvar, Szekelyhida, præsidiis suæ Majestatis munitæ resistunt. Excursionibus premuntur. Claudiopolis jubente Ali Passa per Principem Apafium ac Kucsuk Passam irrito successu obsidetur. Franciscus Szentgyörgius Episcopus Vaciensis iisdem in castris de pace quasi tractaturus Principem Apafium adit. Quæ prius promiserat, revocat. Per Kucsuk Passam Temesvarinum transmittitur. Generalis Schnejdau præsidio Claudiopolitano succurrit. Quo appropinquante Kucsuk Passa retrocedit. Gabriel Haller ad Ali Passam legatus à Statibus regni expeditur. Episcopus Vaciensis Temesvarini fato fungitur. Kucsuk Passæ insolitæ in Transylvania exactiones. Pax inter duos Imperatores diu tractata difficultatibus subinde

de novis intervenientibus finem sortiri nequit. Gesta hæc annis tribus.

SECTIO I.

PUrpuratus Budensis (Szeidi Ahmet Passa) audiverat quidẽ (sed incerto authore) vulneratũ Principem Rakociũ, minimè tamen fidem adhibens, sive adhibuisse simulans, non persequitur Varadinum versus ex pugnâ se recipientẽ, sed reflexo Claudiopolim, ac illinc oppidum Dés versus itinere, juxta fluvium Samosium paulatim ducit exercitum, dietim plurimos ex iis qui in pugnâ vulnerati erant sepeliens. De numero Turcarum in pugnâ cæsorum sçiscitati nonnulli Transylvanorum, verùm mirâ fide per eos celatum, interim cruentissimam se reportasse victoriam, pluresque nongentis illic vulneratos in castris esse fatebantur cuncti. Hungarorum ultra

tra tria millia cæsa; profligati Principis Rakocii rumore ad Principem Barcsaium perlato, Cibinio (ubi longam traxerat moram) egressus, purpurato Budensi castra penes Samosium juxta pagum Boncida habenti conjungitur, literis ad universos Status ut armati præstò essent confestim evulgatis, paruêre plerique, nonnulli (inter quos Csikienses, ac Sepsi, Kézdi, & Orbai Sedium incolæ) auxilium à Principe Rakocio (quem vivũ credebant) certo certiùs sperantes, minimè. Expeditus inter reliquos à Principe Barcsaio ad Siculos in bellũ cogendos, Magnas quidam Michaël Toldalagius, cui, ut in itinere Sespurgum (civitatem Saxonicalem) divertat, eosque ad obedientiam declarandam, legatos ad Principem Barcsaium expedire jubeat, demandatum. Infelici suo fato paret ille. Verùm Sespurgenses, qui ex universis Saxonibus primi à Principe Barcsaio desciverant, omnes ejus fideles acerrimê

mè erant persecuti, quid meriti essent, sibi conscii, Principemque Rakocium, in quo spem totam collocaverant, decessisse, aut victum esse, minimè credentes, eum ingressum, quave de re venisset inauditum, cum quodam nobili Michaële Simon, immani rabie frustratim dissecuêre.

Conjunctus juxta oppidum Boncida Princeps Barcsaius Turcicis castris ut penes fluenta Samosii Hungariam versus promoveret Purpuratus Budensis castra, diverso tamen utriq; respectu cõclusere, Princeps Barcsaius (qui excessum quamvis Principis Rakocii nondum audiverat, lethaliter tamen eum decumbere à nonnullis erat edoctus) ne decedente eo, intra limites regni Transylvaniæ idipsum subaudiens Purpuratus Budensis, regnum occupaturus, subsisteret, metuens, ob idque quàm citissimè eum educere laborans. Ille, ut Rakocium (quem vivum & convaliturum credebat) exercitus reparãtem,

tem, nondum satis instructum præoccupare posset, festinans; Fratre itaque germano Gasparo Barcsaio, Georgioque Lázár Consiliario, ac regni Protonotario, per Principem Barcsaium ad procuranda regni negotia relictis, motisq; oppidum Sibo versus castris; Judex quidam nobilium Comitatûs Bihariensis celeri circa meridiem cursu supervenit, decedenteq; in conspectu ejus Principe Rakocio, eorum à quibus missus erat, (hi erant universi fermè Varadienses primores) literas exhibet. Sed sub pœnâ mortis, donec Purpuratus Budensis cum suis regno excederet, tacere jussus. Continuato itaque per tres dies itinere, penetratis in ditionem Regis Hungariæ quarto die castris, dictum Judicem nobilium eadem quasi horâ Varadino appellentem, mittit ad Purpuratum Princeps Barcsaius, qui de morte Rakocii per eum edoctus, viginti aureis donatum lætus dimittit.

SECTIO II.

NOndum hactenus in Ottomanicâ Portâ Principis Rakocii interitus, resque Purpurati Budensis Szejdi Amhet Passæ feliciter gestæ cognitæ, ideoque tacito impar negotio judicatus, cũ universis Europæis, Asiaticisq; exercitibus, ad dictum Principem (jam defunctum) armis persequendum Purpuratus Ali passa missus, Albam primùm Græcam, mox Temesvarinum pervenit. Omneque Szejdi Amhet Passæ munus ademptum, Ismaële quodam in purpuratum Budensem (qui tamen Ali Passæ subsit) ordinato. Miræ insuper ex Ottomanicâ portâ ab Oratore continuo Transylvanorum Valentino Szilvási ad principem Barcsaium literæ, in quibus *propensum erga regnum Transylvaniæ ac Principem Barcsaium Ottomanicæ Portæ ac Ali Passæ animum multis verbis commendat, ut legatus confestim pro relaxandâ regno impo-*

impoſitâ ſummâ ad eum mittatur, (*irritum minimè fore ejus laborem ſpondens*) *ſuadet*. Secutus conſilium ipſius, Gabrielem Haller Conſiliarium ad Ali Paſſam expedit Princeps Barcsaius, qui præter expectationem omnium, inhoneſtè ab eo exceptus, paucos poſt dies areſtatur; iterato Varadienſium ad Principem Rakocium transfugio, ejuſdemq; in arce Varadienſi deceſſu, (quæ omnia in Portâ Ottomanicâ jam cognita) anſam indignationi præbentibus. Integram præterea quingentorum imperialium ſummam (quæ regno erat impoſita) per dictum legatum ſe recepturum crediderat Ali Paſſa, cujus per Gabrielem Haller ne minima quidem pars allata fuerat. Reſcribit hæc omnia Principi ac Regno dictus legatus, *niſi aliqua ſpecificatæ ſummæ pars, ad leniendum Ali Paſſæ furorem extemplò tranſmittatur*, *extremum regno imminere periculum ſignificans*. Principi Barcsaio cum Szejdi Amhet Paſsâ juxta

ta Ecsedinum castra habenti, allatæ literæ, qui, ante complures annos, dum Principe Rakocio seniore vivente, in Portâ Ottomanicâ legatione fungeretur, Ali Passæ notus, ob idque magnam in amicitiâ ipsius spem collocans, legatione prędictâ minimè succedente, ipse pro regno deprecatum adire Ali Passam statuit. Mittit etiam in Transylvaniam Joannem Betlenium & Franciscum Keresztesi, Consiliarios, regni Status (nisi funditùs perire velint) ut extraordinario ipsimet imposito tributo, publicæ succurrant necessitati, per eos admonens.

Incertus antea apud Szejdi Amhet Passam degradationis suæ rumor, hic certius apud eum (nec sine ingenti animi mœrore) constitit. Impobat Principis Barcsaii Ali Passam adire volentis (sive ei perspectâ hominis naturâ, sive gloriâ adversarii ipsum pungente) intentionem, Szejdi Amhet Passa, sed manet in proposito ille.

SECTIO

SECTIO III.

PRogreſſus itaq; Varadinum, illinc Jenö verſus dictus Princeps, Ali Paſſam, qui Gabriele Haller legato ſecum ducto, Temeſvarino ſe moverat, inter Lippam & Jenö arces habet obvium, à quo non ſatis læto excipitur vultu. Innumeram exercitûs ejus multitudinem, apparatumque tormentorum (nil boni ex iis præſagiens) cum ſtupore intuetur, obſidionem arcis Varadienſis (quamvis mirâ fide eam Ali Paſſa celaret) mœſtus conjectans. Quam, dicto Ali Paſſæ contra ſolum Principem Rakocium (qui renitente Portâ Ottomanicâ Tranſylvaniam manutenere voluerat) expedito, ſub initiũ itineris minimè demandatam fuiſſe, verùm iteratâ iſtius arcis ad toties dictum principem defectione, ibidemq; facto ejus deceſſu iñoteſcentibus, Temeſvarini jã moranti, eâ de re imperatoriũ ſuperveniſſe mandatũ certò conſtat.

ſtat. Degradatus quoque Szejdi Amhet Paſſa ſubtriſtis Ali Paſſæ conjungitur, traditoque ipſi exercitu, per eundem, ut celeri curſu Varadinum properans, urbem occupet, incolasq; ejus in captivitatem aſſerat, expeditur: verùm Varadienſibus obſidionem arcis futuram, urbemque ne per hoſtes occupetur, ipſiſque nocumento ſit, metuentibus, incendentibuſque, inutilis fuit labor. Principi Barcsaio (de Varadino ſibi tradendo) aperit tandem animum Ali Paſſa; Gabrieli Haller legato per ipſum areſtato, qui Supremus ejuſdem arcis Capitaneus quondã fuerat, ſub pœnâ mortis, ut confeſtim eam reſignet, imperat. Verùm illi nec voluntas, nec poteſtas erat juſſa præſtandi; compedibus quocirca ferreis duabus, ſexaginta trium librarum pondo oneratur, nec priùs niſi expugnato inſigni hoc fortalitio dimiſſus, ut inferiùs patebit. Princeps quoque Barcsaius intenſiſſimâ circumcluſus cuſtodiâ, arcta

sto subjicitur. Cujus ut arcis situs, munitio, inæstimabilique totius Christianitatis cum jacturâ amissio, lucidiùs constet, hæc mi lector breviter accipe.

SECTIO IV.

INsigne fortalitium Varadiense, in planitie juxta ripam Crisii fluvii erectum intelligas, quod dictus fluvius à Septentrione præterlabitur, ab Oriente carecta quædam, aliàs (ut incolæ crediderant) vix pervia, in latitudinemque justam patentia, à Meridie & Occasu amplissimam urbem, aut veriùs pagum (cum nullis mœnibus munita sit) à Septentrione dictum fluvium ultraq; eum excelsa eaque plurima vineta, adeò tamen remotè ab arce distantia (ut nullus, sicut falsò hactenus creditum, illinc tormentorum metus) habebat; Arx ipsa duplex, exterior quinque latericiis, iisque maximis propugnaculis, si antiquorum opera consideres, regularibus, latâ præterea profundaque

daque fossâ, quæ præ metu hostili undâ plena erat, muniebatur; interior, totidem quidem habebat propugnacula, sed ejus mœnia in altum erecta, palatiorum simul arcisque repræsentabant usum; Egregia in pace degentium commoditas, sed (ut inferiùs patebit) magnum arcem defendentibus exitium. Tormenta grandia, minoraque, ac munitiones in tantâ copiâ, ut expugnatâ etiamnum arce, satis superesset. Commeatus non quidem multus, sed sufficiens. Verùm præsidium octingentorum & quinquaginta cujuscunque gradus & officii (præter pueros & fœmellas) virorum, cum capacitas arcis quinque ad minimum præsidiariorum exigeret millia: Ingens itaque hic defectus, certum arci peperit excidium. Verùm quo authore intelligendum? Eorum, (quos supra meminimus) operâ ad Principem Rakocium desciscente arce Varadiensi, ibidemq; dicto Principe ante paucos dies fato fũcto, Frãciscus Gyulaius

laius ejusdẽ arcis Vice Capitaneus, Michaël Teleki, aliiq; factionis ejus principes, pietatis erga defunctum herum suũ obtentu, Ecsedinum exanime Principis Rakocii corpus comitati, iñinentibus se exemêre periculis. Arx certe destituta Domino, quo in tantâ extremitate confugeret dubia, tam Principem Barcsaium per literas, quàm regni Ungariæ Palatinum, eoq; intercedente Hungariæ Regẽ, per Martinum Boldvai Comitatûs Bihariensis Vice Comitem (qui post pugnam Gyaluinam à Purpurato Budensi Szejdi Amhet Passâ dimissus redierat) de subsidiis mittendis requirit. Verùm Princeps Barcsaius extra regnum in itinere Ali Passam versus suscepto requisitus, tempore simul & mediis destitutus, succurrere nequit, *Sacratissimam Imperatoriã Majestatem de subsidiis mittendis requirit alter*, sed tanti momenti negotio longũ desiderante consilium, antequam, quid in re tam arduâ facto opus esset, cõclu-

deretur, (ut inferiùs patebit) actum de Varadino. Externis itaq; subsidiis destituti Varadienses, tam cives quàm præsidiarii, ad extremum usque arcem se propugnaturos, alteros alterisque si necessitas ingrueret auxiliaturos per Deum jurant: verùm præter prædictos octingentos & quinquaginta viros, violato juramento, reliquos clàm se subducere metus compulit. Ad tam exiguum itaque redacti numerum, omnique auxiliorum spe destituti, obsidionem tamen subeundam decernunt. Quæ inchoata est in hunc modum :

SECTIO V.

DEcima quarta Julii [1660] cum innumerâ suorum, multitudine appropinquans arci Ali Passa, ab Oriente extra jactum tormentorum, locatis interdiu castris, in partem urbis (Velence ab ipsis appellatam) inter arbores magno cum suorum commodo, arcis verò incomodo, sub noctem (ipsemet

in iis præsens) principalia transfert castra; Altera ab Occidēte sub directione Szejdi Amhet Passæ, in utraq; Crisii fluvii ripa; Tertia à Septentrione inter vineta, Aranyas & Ablakos dicta locat.

Sequenti 15. nimirùm Julii per proprias, Principisque Barcsaii, (quas extorserat) literas, deditionem arcis sollicitat. *Dedentibus liberam omnium rerum cum incolumitate possessionem offerens, acerbissimam econtrà refragantibus mortem minatus. Verùm præsidiarii, etiamsi quicquam temporibus retroactis, quod Ottomanicæ Portæ displicuisset per eos patratum prætendi posset, in gratiam tamen à Szejdi Amhet Passâ ante paucos dies recepti, assecuratoriisque ejus literis muniti, pro fidelibus potentissimi Imperatoris semet agnoscentes, ne obsidione premantur rogant, quæ nisi solvatur, juramentales dicti Szejdi Passæ literas perdicæ se appensuros, Deumque perfidiæ illius ultorem affuturum certò se credere asserunt.* Videban-

banturq; verba eorum aliquo niti fundamento, quamvis enim semel à dicto Szejdio in gratiam recepti, Martino Boldvai Vice Comite ejusque sociis (quos tanquam obsides ad ipsum expediverant) in periculo relictis, denuò Rakocio adhęserant, decedente tamen eodem, iterum per Szejdium (degradationis propriæ ignarum) erant assecurati, sed nullus apud Ali Passam assecurationis illius respectus. Frustratus hac spe Ali passa, è regione propugnaculi (quod Rubrum appellatur) ab ortu solis erecto aggere, undecimque in eum collocatis majoribus tormentis dictū propugnaculum, prætervolantibus tamen globis, parvo cum incommodo quatere incipit. Nec eo contentus, ultra fluvium Crisium in promontorio Ablakos dicto à Septentrione erecto altero aggere, trigintaque Falconetis illuc trāslatis, interiora arcis per quindecim continuos dies, sed prætervolantibus globis sine fructu infestat, ter-

tiâ

tiâ tandem ſeptimanâ cognito errore, exactiùs deorſum directa torm ẽta, interioris arcis mœnibus (quæ in altum erecta erant) vi tormentorum corruẽtibus, fragminibuſque lapidum longè plures, quàm globis tormentorum, enecantibus, milites ad defenſionem propugnaculorum collocatos, imbellemque in arce mulierum ac parvulorum multitudinem ingenti cum ſtrage proſtrarunt, hæcque prima & maxima præſidiariorum clades.

SECTIO VI.

LEntiùs difficiliuſque opinione ſuccedentibus Ali Paſſæ rebus, tormentiſque Hungarorum, mille ſine appropinquatione jam amiſſis militum, irâ ſimul & dolore exacerbatus, tertium ab ortu ſolis contra propugnaculum, quod Auratum dictum, erigit aggerem, deſertoque proprio tentorio coopertam verſus arcem cum im̃enſâ ſuorum multitudine promovet viam,

tam capacia in quibusdam locis, ut mille Janizari simul subsistere, nec lædi, aut videri possint, excavans loca, usq; ad marginemq; fossæ procedens (ibidem ipsemet moratus) aggere immensæ capacitatis erecto, plura eaque maxima in iis collocat tormenta; quibus Auratum & Rubrum dicta propugnacula per complures dies magnâ cum mœnium ruinâ, præsidiariorumque cæde quatit. Non tamen elanguêre tot malis eorum animi. Quartus itaque à Septentrione in promontorio sancti Stephani denuò erigitur agger, unde pro lubitu Turcarum interiora arcis magno cum præsidii incommodo infestata.

Quintus itidem in promontorio sancti Petri erectus, simili eos clade affecit. Animosè econtrà Hungaris vel tot calamitatibus pressis rem gerentibus. In præsentia tandem magnatum Turcicorum convocatis Ali Passa tormentorum suorum magistris, qui fermè

mè omnes dulcedine præmiorum pellecti deserto Christi cultu ad Mahumeti sacra transfugerant, nationeque Itali erant, *quid contra arcem facto opus sit, consultat. Illi, nisi aqua è fossâ aliorsum derivetur, nec vineas promovere, nec cuniculos posse moliri, respondent.* Toto itaque ad derivandam aliquorsum aquam intentus nisu, è regione propugnaculi Aurati à fluvio Crisio arcem versus à Septentrione, ingenti per viginti tres dies, totidemq; noctes totius exercitus indefesso labore fossâ ductâ, potiorem aquæ ibidem existentis partem Crisium versus derivat. Non parva tamen adhuc restabat in fossâ aquæ pars, prædictaque impedimenta necdum sublata videbantur; Magna interim aqua in conspectu Hungarorum decrescens, eos mœrore simul & timore perculerat. Interea in exitium Transylvaniæ nata quædam meretricula, in captivitatem per Turcas non multos ante dies asserta, se, regnante

Principe Betlenio, ancillam Castellani illius arcis fuisse, dictoque Principe propugnaculum (quod nunc Betlenianum appellatur) à fundamento erigente, ubinam aqua è fossâ penitùs aliorsum derivata fuit, vidisse refert, magno itaq; cum applausu ad Ali Passam ducta, libertate promissâ, ad ea quę spoponderat, monstranda ducitur, à quâ informati Turcæ, à fluviolo Pece dicto, rectà versus propugnaculum Betlenianum profundâ fossâ ductâ, reliquum quod supererat circa arcem aquæ exhaustum. Quo Turcæ pariter & Hungari viso, hi ingenti premi solicitudine, illi tanquam arce jam obtentâ in immensum applaudere cœpêre. Erectus itaque in spem potiundæ arcis (de quâ hactenus planè desperârat) Ali Passa, contra propugnaculum, quod Mancum, sive destructum propterea appellabatur, (ante sexaginta quatuor enim annos Purpurato Szaterczi Memhet, cum centum sexaginta milli-

millibus oppugnante eandem arcem, sed septem millibus armatorum ipsam propugnantibus, divinaque clementiâ rejecto hoste, illud præcipuè vi tormentorum hostilium erat destructum) sextum denique erigit aggerem, dictique Manci vel destructi ac Aurati propugnaculorum defensores miserè illinc affligit, ut vix in iis cuiquam subsistendi suppeteret facultas. Ne præterea quicquam intentatum reliquisse videretur, à meridie in ripâ fossæ aggere quodam erecto, duobusque illuc tormentis grandibus collocatis, casamatam Aurati propugnaculi, unde multa ipsi & suis inferebantur incommoda, occiso ejus moderatore, inutilem reddit. Nec tertium, quod Joannis Regis propugnaculum dicitur, intactum relinquere voluit, directis quin potiùs per complures dies illuc tormentis, superficie ejus totâ convulsâ, torme̅toru̅ ex eo usum (jaculationibus præsidiariorum, multis tamen priùs suorum

amiſſis) interioribus ademit; ad futuram procul dubio hæc omnia præparans oppugnationem. Arcis quoq́ue foſſa aquâ jam deſtituta, machinationibus hoſtium facile patebat, prægrandis itaq́ue (ſubterraneum cuniculum, cœno uliginibuſq́ue prohibentibus) in ejus ripa è regione Aurati propugnaculi erigitur agger, corbeſq́ue maximæ à dextra ſiniſtraq́ue terra plenæ verſus dictum propugnaculum promoventur, quæ ne tormentis per præſidiarios deſtrui poſſint, duplicantur, ac trabibus ſuperiùs coopertæ, terrâ profundâ contra incendia veſtiuntur, totuſq́ue per quatuor dies, totidemq́ue noctes huic inſudat operi cum ſuis Ali Paſſa, verùm Hungari ingentia (quibus inſtructiſſimi erant) in Auratum & Mancum propugnacula per eoſdẽ dies collocantes tormenta, totũ eorum opus, unà cum iis qui aut laborabant, aut iis præſidio erant, ingenti cum Ali Paſſæ dolore contrivêre. Reſiſtentibus quidem

dem ſed irrito cum effectu interioribus, reiteratur longe validiùs per eundem prædictum opus. Aurati, Manci, ac Joannis Regis propugnaculorum partes ſuperiores tormentis indeſinenter interim quatientibus, ex aggeribus verò, qui in promontoriis ſanctorum Petri & Stephani erecti erant, interiora arcis infeſtantibus. Vix itaque ullus in totâ arce locus periculi expers, tormentis nihilominus ſclopetiſque ſtrenuè ab interioribus res geſta, octo hoſtilia deſtructa tormenta, multi ex hoſtibus ſclopetorum glandibus trajecti, plures vulnerati, verſus itaque in furorem totus exercitus Turcicus, vix à cæde Principis Barcsaii ac ſuorum temperat, minas nihilominus & convicia plus ſatis ingerit.

SECTIO VII.

TRigeſimo ſecundo interea obſidionis die, 14. nimirum Auguſti, miſerabilis in arce caſus, memoriaque

dignus contigit: Armamentariorum præcipuum, ubi granatæ, ignivomi globi, aliaque ad defensionem arcium excogitata in maximâ copiâ, pulverisque pyrii satis magnus asservabatur numerus, custodiæ Vice Castellani Joannis Kürti commissum erat; admisso ille in domum dicto armamentario contiguam cum tota familia quodam, dum iteratis armamentarium ingreditur vicibus, ex admissi in domum jam dicti hominis familia nonnulli eum secuti, candelâ fortuitò è manibus eorum in terram delapsâ, repentino instrumenta illa ignita concepto igne, totum cum centum & amplius hominibus à fundamento, cum cohærentibus ædificiis, ingentique fragore evertunt armamentarium. Jactura vel pacifico tempore multis florenorum millibus meritò æstimanda. In tanta autem istius insignis fortalitii extremitate, inæstimabile damnum.

Appropinquat interim ingenti cum labo-

labore (ſpectantibus, ſed reſiſtere non valentibus Hũgaris) verſus propugnaculum Auratum, priùs per Hungaros deſtructum, ſed reiteratum opus, ac tandem eidem conjungitur, cuniculoq́ue fundamenta dicti propugnaculi aptantur. Quod præſidiarios minimè latuit; concurrunt itaq; aliquid contra molituri, ſed peritiſſimus tormentorum magiſter per Franciſcum Gyulai, arcis Vice Capitaneum, eorum quæ in fortalitiis ſummè neceſſaria, penitùs ignarum, non pridem levem ob cauſam exauctoratus, reliqui quamvis ad dirigenda ſatis periti tormenta, verùm nec granatis (quibus abundabant) uti, nec contra minas promovere gnari. Unde maximus arcis defectus. Solus inſignis quidam nobilis Michaël Ibranyi, ſupra omnium opinionem vir fortiſſimus, tam officialium qui ſe ſubduxerant, ſupplet defectum, multus & indefeſſus undiquaque, quàm etiam contra cuniculum hoſtilem contrarium

promovere allaborat.

Egestâ itaque è propugnaculo (cui cuniculus admovebatur) terrâ, contra minam promovere nititur, verùm advectitia, non autem solida propugnaculi terra, nisi latissimè amoveretur, facile subsidebat, duplicatus itaque, imò triplicatus labor, præsidiariis, qui sub initium obsidionis, octingentorum & quinquaginta virorũ non excedebant numerum, ad sexcentos jam redactis, iisque in capacissima arce adeò distractis, ut vix, imò ne vix quidem recentes fessis in labore succedere possent; Quibus mulieres puellęque promptissimè tam in labore, quàm rebus militaribus opitulabantur, sed earum non magnus numerus. Consimili (ut præmissum) contra propugnaculum Rubeum quoque artificio promotus cuniculus. Interioribus ut ei similiter ac alteri obviam iretur incumbentibus, ob idque maximè distractis, nec rem vires suas longè excedentem præstare valẽtibus.

Præ-

Præparati itaq; cuniculi 24. Augusti simul incensi, pro votó successêre Turcarum, ingenti enim pulvis pyrius boatu ædito, trementeque totâ arce, murus propugnaculi Rubei à fundamento eversus, decem ulnarum latum aditum præbuit hostibus. Aurati propugnaculi non æquè lata ruina, integræ tamen cohorti facilem præbebat ascensum. Præstolabatur instructis ad insultumque ordinatis totius exercitûs cohortibus eventum hujus rei Alipassa, succedente itaq; pro voto negotio, ad distrahendos procul dubio præsidiarios, sex circiter millia, propugnaculum quod Mancum dicitur (ab ipso tamen illæsum) scalis adoriri mandat.

Innumeram præterea suorum multitudinem, per ruinas duorum propugnaculorum (ingentibus qui primùm arce potirentur promissis muneribus) insultum tentare jubet; Invadunt illi animosê murum, integræque cohortes cum compluribus vexillis in utrumquè

itera-

iteratis vicibus evasêre propugnaculum, ſed plurimis cæſis, vexilliſque nonnullis captis rejectæ; Mulieribus nec virorum nec propriorum vulnerum metu ſe ſubducentibus, ſed pice, fervefactâ aquâ, lapidibuſque hoſtes animosè repellentibus, paucitatiq; virorum non mediocriter opitulantibus.

Ab ortu ſolis uſque ad duodecimam duravit inſultus, rejecta cum ignominiâ à pauciſſimis ingens Turcarum multitudo, cum quadraginta ad minimum inſultui interfuiſſe millia ipſimet fateantur. Qui verò integrum propugnaculum ſcalis (ut præmiſſum) erant adorti, nullâ earum ſumitatem illius pertingente facilimè repulſi. Hic fuit exitus oppugnationis; Nec tamen incruenta Hungaris victoria. Promptiſſimus quiſque cæſus, aut vulneratus. Magnanimus heros Michaël Ibranyi in primâ acie fortiſſimè dimiçans, pulſo extra propugnaculi ruinam hoſte, lethaliter vulneratus, eadem die Deo,

cui

cui se devoverat, reddit animam; Quo cadente elanguit confestim in cunctis militaris vigor. Trecenti jam, nõ plures è præsidio supererant sani, sed paucitatis eorum Ali Passa ignarus, universorum Janizarorum (pedites hi) supremo officiali, Cancellario proprio, multis magnatibus, gregariisque tribus (imò ampliùs) millibus cæsis, barbam vellens, de victoriâ simul & propriâ vitâ dubitabat, nec turbulentæ totius exercitûs, signanter Janizarorum, *nisi iterato eoque unico arcem capiat insultu, non ampliùs illic se moraturos, sed mactato ipsomet Ali Passâ, Manibus fratrum suorum parentaturos referebant*, decrant voces. Suo suorumq; discrimine anxius itaque, manipulos lignorum totum jubet comportare exercitum, quo mirâ celeritate congesto, sonantibus è cunctis aggeribus versus arcem tormentis, aggerem, qui summitatem propugnaculi Rubei æquabat, satis latum promovere incipit, quod

quod impediendi omnis facultas tam vi tormentorum, quàm decem & pluribus Janizarorum millibus indesinenter contra eos jaculantibus præsidiariis adempta, nec multùm à propugnaculo dictus agger aberat, dum reliquiæ præsidiariorium, disjecta propugnacula abscindentes, fossis, interiorię; earum margine recens erectis aggeribus se munire incipiunt, locaque oppugnationi magis opportuna subtus pulvere pyrio replentes, irrumpentes Turcas beneficio ejus ad Mahumetem patronum eorum expedire satagunt, eo itaque dum distinentur modo, Szemenius quidam (hi sunt pedites è Tracibus orti, audacissimi, sed inconstantissimi milites, ex quibus integra cohors inter præsidiarios erat) ad Turcas per ruinas transfugiens, tam paucitatem præsidii, quàm negotia, quibus occuparetur, punctatim patefecit; Verùm in aliis creditum ipsi, tam exiguum verò præsidii numerum dicenti (quod quatuor ad mi-

ad minimum millium Ali Paſſa credebat) nulla fides adhibita, aliàs minimè vel ſe dedentibus incolumitas data fuiſſet. Præſidiarii verò, ex dicto transfugâ totum eorum ſtatum hoſti cognitum, propugnacula duo convulſa amplum hoſtibus præbere aditum, aggeremque poſt inſultum inchoatum propugnaculo fermè jam conjunctum videntes, indeſinenterq; ab hoſte per ruinas currente & recurrente inquietati, iteratum ipſos minime ſuſtinere poſſe impetum prævidentes, nec auxilium ab ullo mortalium ſperantes, 27 Auguſti deditionem tandem arcis facere decernunt, albiſq; e propugnaculis in ſignum deditionis expanſis vexillis, Ali Paſſæ, non ſatis pro voto hactenus prandentis, læto hoc indicio fercula condiunt.

SECTIO VIII.

PUncta autem deditionis arcis Vradienſis per præſidiarios propoſita hæc fuêre: I. *Pra-*

I. *Præter arcem Varadiensem, ab antiquoq; eidem adjunctas possessiones, nulla arces, castella, oppida, villa, aut possessiones Transylvanis adimantur.*

II. *Quicunque arcis & civitatis Varadiensis incolarum, sive de præsenti illic persistere, sive successu temporis, cum uxoribus liberisq; redire voluerit, proprias eidem substantias, domos, possessiones, portiones, aliaque bona possidere, juxta Canonesque Transylvanicos vivere liberum esto.*

III. *Tres vel quatuor, quibus ad exeundum se accingant, dies morari liceat, quibus transactis sufficientes ad avehenda quæ placuerint impedimenta currus Ali Passa subministrare teneatur. Armis decenter instructi cum totâ familiâ arce egressi, nullis contumeliis aut rapinis afficiuntor, quod ut commodiùs præstari possit, Janizari qui circumsident arcem, amoventor, cum sufficientique comitiva quocunque voluerint eos transmittere tenetor.*

IV. *Literæ, bonaque in Capitulo Varadiensi reposita Transylvaniæ regno reddunto.*

V. *Typographia, exemplariaq́; Bibliorum ibidem deposita restituito.*

VI. *Quicunque propter obsequium Ottomanicæ Portæ præstitum à Principe Rakocio incarcerati sunt, aut Purpurato Szejdio adhærentes fidelem præstiterunt operam, non propria saltem iis possidere liceat bona, verùm in quibuscunque Imperatoris Turcarum ditionibus degere voluerint, absque pensione tributi vivere liberum esto.*

VII. *Quoniam arx per eos in potestatem Imperatoris potentissimi traditur, ut de omnibus jacturis Princeps Transylvaniæ eos contentet, Ali Passa demandato.*

VIII. *Quoniam Jenô, Karansebes, Lugos, Varad, arcibus à regno Transylvaniæ avulsis, regnoque toto miserè devastato, vix reliquiæ supersunt, de relaxandâ impositâ summâ, annuoque tributo*

tributo minuendo coram potentissimo Imperatore Ali Passa intercedere obstrictus esto.

Ut prædictus Illustrissimus Ali Passa, reliqui Purpurati, Agæ, Begi, universique primarii officiales de his omnibus sub juramento, proprioque chirographo scriptas transmittere literas tenetor.

Visis Ali Passa punctis per præsidiarios transmissis, rescribit: Quicquid postulatis, omnia approbamus, rata habemus, omnia vestra bona vobis possidere licitum esto, cavete tamen ne fraus actis vestris subsit: Ducentos subministrabo currus, nec comitiva deerit, cras arce egredi vos oportet. Janizarorum Aga cum certâ militum manu, qui vos exeuntes protegat, à nobis ordinabitur, ite securè in pace quocunque volueritis.

Locus Sigilli.

Subjungit iterum; Capitanee, Officiales, Nobiles, reliquique universi & singuli Varadienses; Postulata vestra intel-

intelleximus, omnibusq; punctis annuimus,] quoniam sub patrocinium potentissimi Imperatoris confugistis, juxta placitum vestrum fiant omnia, arce oportet egredimini, in quamcunque volueritis tendere partem, Passas, Begos vobis adjungam, tutum habituri estis iter. Qui verò vestrum hîc residere maluerit, domos, hortos, vineta, agros, ipsi confestim restituam, absentes si redituri sunt, eadem immunitate gaudento.

Schola unà cum appertinentiis illibata vobis maneto. Typographia cum instrumentis suis vestra esto. Coram potentissimo Imperatore de vestris rebus supplicare deinceps quoque paratum me fore, remque obtentam vos habituros spondeo.

Quæ omnia nos observaturos juro per Deum omnipotentem, sanctissimum nostrum Prophetam Mahumetem, benedictumque potentissimi Imperatoris caput, in cujus rei memoriam præsentes literas sub sigillo & chirographo dedimus.

dimus. Datum Anno 1660, 30. Augusti, in castris juxta Varad positis.

Eodemque die dicti præsidii Varadiensis reliquiæ, quæ præter mulieres ac pueros trecentæ circiter erant, arce egressæ, Szejdi Ambet Passâ comitante Debrecinum deductæ. Tam exiguum tandiu resistentium numerum ingenti cum stupore cernentibus Turcis, utrum reliqui fugâ sibi consuluissent, interdum quærentibus.

Hæc est nunquam satis Hungaris deploranda, sive negligentiâ, sive nostrâ ac aliorum discordiâ insignis fortalitii Varadiensis amissio; Sub totâ hujus obsidione, Palatino Hungariæ, Generalique Zuzâ, cum Armadâ suæ Majestatis juxta oppidum Rakomaz, exitum ejus opperiente, nec in succursum se movente.

Conditiones verò deditionis ab Ali Passâ quàm facilè approbatæ, tam facilè violatæ, prætérque tutum egresso-

rum iter, qualiter etiamnum hodie observentur, infra liquidò perspiciet Lector. Proceres Turcarum quatuor, non ampliùs, gregarii verò decem sub totâ obsidione Varadiensi periisse Turcarum millia, fatentur ingenuè.

SECTIO IX.

PRinceps Barcsaius, sub totâ Varadiensis arcis obsidione aresto in castris per Ali Passam detentus, ob idq; de suâ, patriæq; salute desperans, multiplices casque diversas ad Locumtenentes, regnique Status mittit litteras. *Interdum, ut impositam regno summam per extraordinarias congestam exactiones sine morâ in castra transmittant, imperans: nonnunquam, ut omni clementia Turcicæ spe semotâ, iis, qui è proceribus Transylvanicis, Rokocianis vicissitudinibus immixti, sponte aut metu solum verterant, revocatis, tam propria pro defensione patriæ sumerent arma, quàm aliorum solicitent opem,*

suadens. Itaque superiùs specificati Locumtenentes(exceptisSiculis,Csik, Gyirgyo,Káſzon,Sepſi, Kézdi, & Orbai,qui à demortuo Principe Rakocio (quem vivum credebant) auxilia expectantes,ſolito ſuo more, à reliquis Statibus dſſentientes aberant) regni proceribus aliisque Statibus convocatis, Principis Barcsaii literas exhibent, quid in tantâ rerum extremitate facto opus ſit conſultant. *Ut Joannem Keményium (qui, ut præmiſſum, occaſione nuptiarum in Hungariâ celebrandarum, Principe Rakocio in vivis agente, Tranſylvaniâ exiverat) tanquam cunctis regni proceribus, prudentiâ, rebusq; geſtis illuſtriorem ante alios requirant, conſilio operaque ejus uſuri, reliquoſq; nobiles patriâ exules revocandos ſtatuunt; Pro auxiliis præterea implorandis, ad regni Hungariæ Status, Palatinumq; deſtinantur literæ, negotio præſenti induſtriæ diligentiæq; Joannis Keményii commiſſa.*

Perve-

Pervenêre ad eum (in arce Aranyas Medgyes, quam uxorio jure in ditione Regis Hungariæ possidebat, tunc degentem) Statuum literæ, qui patriæ suæ periculo motus, exulibus Transylvaniæ proceribus convocatis, ex assensu eorum, cum suis regnique Transylvaniæ Statuum literis, ab eo, ac per eum à Sacratissimâ Romanorum Imperatoriâ Majestate auxilia imploratum, ad regni Hungariæ Palatinum Comitem Franciscum Veselenyi Dionysium Banfi mittit, qui unà cum Zuzâ suæ Majestatis Generali, certaque ejusdem Armadâ juxta Tokaj, penes pagum Rakomaz, infelicissimæ obsidionis Varadiensis præstolabatur exitum.

Deflet calamitosũ Transylvaniæ statũ Palatinus regni Hungariæ, certamq; de eo per celeres tabellarios suam Majestatem facit, tam Transylvaniam, quàm Hungariam, nisi maturè subveniatur, perituram significans; Verùm præsens

periculum excludebant remóta ſubſidia, ante finitam de ferendis ſubſidiis conſultationem, amiſſo (ut præmiſſum) Varadino.

Omni itaq; ſubſidiorum ſpe amiſsâ Tranſylvani, ſummam ipſis impoſitam, per inſolitas à ſingulis extortam exactiones, Ali Paſſæ tranſmittendo furentem lenire ſatagunt. Congeſtaq; (quantam poterant) ſummæ parte, per Gregorium Gilanyi (nobilem quendam) in caſtra juxta arcem Varadienſem locata tranſmittentes, poſt occupatam jam arcem Varadienſem tertio offerunt die, qui partâ lætus victoriâ, eaq; ſedatior (quaſi) factus, tam Principem Barcsaium areſto, quàm Gabrielem Haller compedibus ferreis, ſolvit.

SECTIO X.

PRinceps itaque Barcsaius, qui de vitâ ſimul & principatu deſperârat, in ſpem paulò meliorem erectus, *tam Locumtenentibus, quàm regni Statibus*,

qui

qui ipsomet suadente, Transylvanis exulibus reditum obtulerant, externaque solicitârant auxilia, defectionem ab Ottomanicâ Portâ severè exprobans, per literas indignari cœpit. Regressus in Transylvaniam, obviis quoque regni proceribus in præsentiâ Kapucsi Passæ, per Ali Passâm sibi adjuncto, *illis, non inscio aut invito, sed ipso jubente hoc fecisse respondentibus,* id ipsum objecit. Fidejussoriis Statuum literis exules Transylvani acceptis, plerique patriam repetere cœperant, sed intelligentes mutatum Principis Barcsaii animum, celeri cursu retrocessêre.

Status quoque Siculorum Csikiensium, ac Sepsi, Kézdi, & Orbai denuò in pejus ruere cœpit, Csikienses enim Michaëlem Kalnaki, incolæ verò Sedium Sepsi, Kézdi, & Orbai Stephanum Donat Capitaneos à Principe Barcsaio sibi præpositos, (exuto obsequio) in vincula conjecerant, quorum alter Stephanus Donat paucos post dies per

eos strangulatur. Non parvam Locumtenente Casparo Barcsaio, austeritate suâ seditioni huic ansam præbente, qui Stephanum Bako Sedis Siculicalis Marus Capitaneum, seditiosum quidem ac turbulentum hominem, non tamen legibus convictum, contra prærogativam nobilitarem, indictâ causâ suspendio mulctaverat. Stephanum Lázár, Csikiensium Supremum Judicem Regium captum in arcem Gôrgény custodiendum transmiserat, territis ob id à directione præsenti plerisque.

Apertè quocirca prædictæ Sedes Siculicales rebellavêre, nonnullisq; qui inter eos pacis amantiores erãt occisis, rusticos quoq; jugo jobbagionatus exuto, prædæ, libertatisq; spe sibi associavêre, Stephano Lázár, qui ademptis per Principem Barcsaium certis ab eo imperialium millibus, sub spe amplioris summæ persolvendæ, nec dum dimisso, sed custodibus vafrê delusis, do-

mum

num reduce,magnum huic rebellioni momentum addente. Qui nec aliàs (ut præmissum) satis sedatus, acceptarum memor injuriarum, tam per se quàm Samuelem Székely, Stephanumque Tompa matrueles suos fratres,quo pacto igni inter rusticos ac plebem oleum posset addere,non prætermittebat. Nec rebellionis præcipuè rusticorum ad exteriores serpentis provincias facilis erat medicina.

Generalis quocirca insurrectio bellica reliquis regni partibus indicitur, quæ dicto audientes,sub Generali Casparo Barcsaio,germano Principis fratre, ad sedandam expeditæ rebellionem, vicatim in Sede Saxonicali Köhalmiensi distributæ substitêre, ipso Generali Kôhalmini quartirium proprium habente. Exercitum contra se collectum vicatim esse distributum Csikienses asseclæque eorum intelligentes, ex toto suorum numero, selectis quotquot potuêre equitibus, Duce

Samuele Székely, ad eos qui in proximis erant quartitiis opprimendos certam militum manum mittunt; Qui famam velocitati prægressus, Sedis Siculicalis Udvarhely cohortibus in proximo quartirio (Kacza dicto) ex inopinato oppressis, gregariis plerisque, è præcipuâ autem nobilitate, eximiæ indolis adolescente Simone Farkas, occisis, similes ubique sperans successus, alterum quartirium, ubi equites stipendiarii Valachi erant locati, invadere parat: verùm illos, aliorum casu audito, instructiores, viriliterque resistentes nactus est.

Velitantibus itaq; contra eum illis, Casparus Barcsai cum reliquo equitatu, Dragonumque supervenit cohortibus, quo Samuel Székely (fugacissimus Dux) viso, panico extemplò cum suis terrore perculsus, fugâ sibi consuluit, cæsique fermè omnes, iis solis quos latebræ sylvarum texerant, salvis. Ipse Samuel Székely, reliquos in fugâ prægressus,

greſſus, properabat cum peditatu, quem juxta vicum Barot, ex colluvie ruſticorum magno numero collectum reliquerat, ſe conjungere, verùm proſequente victoriam Caſparo Barcsaio, iis quoque deſertis, cum dedecore, ad eos per quos erat expeditus, refugit. Deſerta ab ipſo miſeræ plebis multitudo, ſuperveniente victore, pro lubitu cæſa, complures naſo auribuſque mutilati dimiſſi.

SECTIO XI.

ULteriùs in provincias Siculorum, Sepſi, Kézdi, & Orbai promovet victorem Caſparus Barcsaius (nemine reſiſtente) exercitum, rebelliumque multis ſuſpendio mulctatis pluribus naſo ac auribus amputatis, priſtini eos memores facit obſequii; Illinc Csikienſes verſus tendenti, per Reverendum quendam Patrem Martinum Káſzonium, nonnulloſque è ſuorum numero adjunctos, deprecatoriæ Csikien-

ſium literæ afferuntur ; Anteacta excuſantes fideliſſimum obtulêre obſequium.

Caſparus Barcsaius victoriâ ferox, naturaque ad ſævitiam pronior, non facilè annuit; Verùm exercitus è Comitatibus regni conflatus commembrorum ſuorum compatiens calamitatibus, ut totum eorum negotium ad proxima (quæ in civitate Saxonicali Seſpurgienſi celebranda erant) rejiceret Comitia, obtinuêre.

Itaque ut per legatos ad eadem miſſos cauſam ſuam agerent, reſponſum per dictum Patrem Csikienſibus. Verùm lenitas iſta Comitatuum, pluribus denuò malis fomentum addidit. Ut inferiùs patebit.

Rebellione itaque prædictâ in hunc compoſita (quaſi) modum victrices diſſolvens Caſparus Barcsaius copias, cum ſtipendiariis, proceribuſque nonnullis, ſub initium Comitiorum in prædicta civitate inchoatorum, (elatiores

ſolito

ſolito arridente fortunâ gerens ſpiritus) fratrem Principem adit.

Qui interea blandiente paululùm fortunâ, Status, Proceresque regni, ne hactenus quidem ſatis moleſtè tractatos, deſpectui habere cœpit, præter proprios ipſius fratres, etiam ſi totum in orcum præcipitabitur regnum, ſe nihil curare ſæpe dicens.

Simulatum ſub iiſdem Comitiis (legatis more conſueto, ſecundùm pactũ nuper initum miſſis) Csikienſes quoq; prǣſtitêre obſequium, ex adverſo Joannem Keményium continuis in regnum vocantes legationibus, Nec defuêre ex proceribus nonnulli, qui mobile Principis Barcsaii ingenium, continuaſque affectionum ejus exoſi mutationes, Joannem Keményium, aut clientes ejus, ad hoc ipſum moliendum animabant. Exules præterea Tranſylvani, qui dicto Principe Barcsaio rerum potiente, reditum deſperârant, totos ſe Joanni Keményio addixerant; Qui, in campo

Kerefztes, vivente Principe Rakocio, per Barcsaium ipsi donatum principatum, non immemor, tot se offerentibus non deest occasionibus, præcipuis (ut prætendebat) à Principe Barcsaio lacessitus injuriis; quem adhuc in castris sub Varad positis commorantem, universa per Præfectum bonorum Fiscalium ipsius bona Transylvanica adimere voluisse, remque tunc dilatam ad iteratas ipsius requisitiones nunquam remisisse, asserebat.

Profligatis itaque exercitûs Rakociani reliquiis, equitibus circiter mille (qui tamen quatuor, imò quinque millia esse spargebantur) convocatis, ad destinatum accingit se iter. Officialemque Principis Barcsaii, Nánási dictum, in limitibus regni pro speculâ cum ducentis equitibus collocatum, cum suis intercipit. Apparatus, intentioque Joannis Keményii per nonnullos nobiles sub iisdem Sespurgiensibus Comitiis innotescunt Principi Barcsaio,

csaio, verùm frater ipſius Caſparus Barcsaius tanquam falſarios, naſo auribusque mutilat. Fidelitatis hoc accepêre præmium.

Finitis tandem, non ſine tumultu, aſſiduiſque querelis, Comitiis, Joanniſque Keménii rumore magis ac magis in dies percrebeſcente, Princeps Görgényinum ſe confert, frater verò ipſius Caſparus Barcsaius ſtipendiariis militibus, qui circiter mille & ducenti erant, in unum collectis, verſus fluvium Samoſium, unde irruptio Joannis Keményii erat metuenda, tendens, diſtributis vicatim cohortibus, ipſe in curiâ Oerményeſienſi, non pridem à fratre ſibi donatâ, ſubſiſtit.

Officiales arcis Kövárienſis, (quæ Hungariæ vicinä Principi Barcsaio parebat) captum cum ſuis à Joanne Keményio Capitaneum Nánáſi, perſcripſerant ipſi; unde manifeſta jam hoſtilitas. Verùm fatali quadam ſocordiâ, nec convocati ad conſultandum Con-

ſiliarii, nec congregati regni exercitus, unde extremo cum periculo velle objicere viſa ſunt fata; Cognita hæc omnia Joanni Keményio, occulta Csikienſium, Sepſi, Kézdi, & Orbai aſſecuratione non mediocriter fulto, ut Principem Barcsaium imparatum maturaret aggredi, impulêre; Ad opprimendum itaq; Oerményeſini Caſparum Barcsaium cum certis cohortibus Joanne Szentpalio exule Tranſylvano præmiſſo, ipſe ad occupandos Dragones ac Valachos Principis Barcsaii equites, tunc in pago Buzâ quartirium habentes proficiſcitur. Arriſit utrobiq; fortuna. Caſparus enim Barcsaius cum tribus ſaltem familiaribus, in prædictâ curiâ ſuâ occupatus, contra multos cum paucis, per duas ferme horas fortiter reſiſtens, occiditur.

Valachi equites (quos cum Dragonibus in pago Buzâ quartirium habuiſſe dictum) multis ſuorum amiſſis, fugâ ſibi conſuluere. Dragones verò in unũ

con-

conglobati corpus, aliquandiu se tutati, Joanni tandem Keményio deditionem sui fecêre.

SECTIO XII.

AD universum interim regnum, non principatum occupaturus, sed publicæ consulturus paci, dissensionesque intestinas sedandi gratiâ se venisse, (conformes iis Principi quoque Barcsaio transmittens) per publicas evulgat literas Joannes Keményius. Audita hæc Principem Barcsaium fermè exanguem reddidêre. Gabrielem Haller ac Joannem Betlenium Consiliarios facit de his certiores, ut, hostibus procul dubio eos opprimere studentibus, propriæ consulant saluti monet; Quos, jam Gôrgényinum versus ad Principem tendentes, obviæ nisi monuissent literæ, eodẽ die certo certiùs, in hostium, vivi, aut mortui, devenissent potestatem; Itineris eorum Georgius quoque Lázár, aliàs Locumtenens,

tenens, Consiliarius, ac Magister regni Protonotarius, comes erat; Qui his auditis terrore perculsi, inter se divisi, Gabriel Haller in castellum germani fratris Pauli (Fejéregyház dictum) divertit, Joannes Betlenius Ebesfalvinum, ad Michaëlem Apafi (qui paulò post in principatu, ut inferiùs patebit, successit) se confert; Georgius verò Lázár, gravi distentus morbo, longam quocirca non toleraturus fugam, magnatis cujusdam Ladislai Gyulafi viduæ castellum (Szentdemeter dictum) sibi vicinum intrat; Quos in loca tam debilia (angustia temporis urgente) se recepisse subaudiens Joannes Keményius, ne Principi Barcsaio (quē à primordio regiminis ipsius in omnibus rebus enixè juverant) conjūgi possent, præmissis certis equitum cohortibus prævertere conatur. Simone Keményio proprio filio, ad Gabrielem Haller, Volfgango Betlenio matruele ejusdem fratre, ad Joannem Betlenium,

um, occupandos, miſſis; Utriſque de incolumi greſſu, regreſſuque per eoſdem juramentales tranſmiſſæ literæ, diligentes interim cuſtodiæ, ne renitentes elabi poſſent, circumcirca collocatæ. Nec caſtella præſidio munitionibusque deſtitúta occluſos in ſpem erigere poterant.

In immenſum eorum auxit metum, Georgii Lázár, per equites Joannis Keményii occiſi inſperatus rumor; Ad quem nomine Joannis Keményii deducendum, cum certâ equitum manu miſſus quidam Andreas Kis ex Hungariâ oriundus, à pueritiâ latro, Szentdemetrio eductum, cum ſceleratâ ſuorum cohorte fruſtatim concidit; Utrũ domino ſuo jubente id fecerit, nec crediderim, nec affirmare auſim: quoſdam verò exulum Tranſylvanorum tunc ingreſſorũ eum ſubordinâſſe, ſuſpicor. Utcunque factum, inulta ad præſens ejus cædes; homo pius, pacis amans, magnique conſilii, meliori dignus

gnus fortunâ, hunc exitum habuit; Terrebat (ut præmissum) eos insperatus hujus casus, resistendi tamen mediis destituti, dubiam vitæ aleam subiere; Hic Fejéregyházino, ille Ebestfalvino egressi, in itinereque conjuncti, Volfgango Betlenio comitante, Joannem Keményium (qui Vasárhelyinum appulerat) adeuntes, sed contra datam ipsis fidem, arma nonnullis contra eos stringentibus, à militibus ad comitandum eos missis, parvum abfuit quin neci traderentur.

Simon Keményius ad tentandam, tam lentâ obsidione, quàm scissiones spargendo, arcem Fogaras, cui Andreas Barçsai, germanus Principis frater præerat, abit. Gabrielem Haller Joannemq; Betlenium læto (ut apparebat) excipit vultu Joannes Keményius, deductisque in intimum cubiculum, privatas suas injurias brevibus, dissensiones autem Statuum, aliaque regni incommoda, prolixis exaggerat verbis,

se non

ſe non principatûs occupandi, ſed patriæ procellarum ſedandarum gratiâ ingreſſum refert, in Generalibus regni Comitiis de propriis aſſecuratus bonis, ſedatiſq; patriæ tumultibus regno exceſſurum ſpondẽs. Nec contra Principem Barcsaium, qui ex arce Görgény tremebundus præſtolabatur præſentium procellarum exitum, quicquam ſe moliturum promittens. Interim ne in propoſito tam pio patriæq; ſalutari à dictis Gabriele Haller Joanneq; Betlenio impediatur, literas ab utroq; reverſales exigit, quibus denegatis, utroſq; pro hoſtibus ſe habiturum dicens. Æquitati (primo intuitu) minimè diſſentanea videbatur hæc ejus voluntas, verùm illi ex initiis (quæ primâ fronte bona videbantur) malas plerumque ſequi conſequentias, metuentes, non ſponte parebant jubẽti, verùm recenti Georgii Lázár exemplo, quid ipſis ſperandum aut metuendũ eſſet docti, paruere. Csikienſes quoq; ac Sediũ Sepſi,

Kézdi,

Kézdi, & Orbai incolæ optatæ diu occasioni non defuêre in regionem enim Siculorum Udvarhelyiensium fratrum suorum erumpentes, quicunq; aliquarum rerum jacturam facere poterant, per eos proditores appellati omnibus exuebantur bonis, imò in tecta etiam plerumque sævitum, quo quis opulentior, eo infestiores eos expertus. Expediti per eosdem ad Joannem Keményium legati, quid ampliùs eos facere, aut in quos sævire vellet interrogatum. Verùm ille haud rudis magister tractādi animos hominū, seditionemq; cujus restinguendæ gratiâ se ingressum prætendebat, non sedari, sed augeri hoc modo videns, pro officio eorū summas agit gratias, laudatosque, depositis armis, domum redire, Comitiisque futuris interesse jubet. Iteratas ad Principē quoq; Barcsaium Vásarhelyino Görgényinum mittens literas, *tam utriusq; quàm publicæ hoc proficuum fore tranquillitati asserens, ad mutuum (fide data)*

ta) colloquium invitat.

In oppidis interim arci Görgény vicinioribus arctis circumcirca custodiis, ne quicquam illuc inferri, aut literæ uspiam expediri possent, dispositis. Non detractat ille colloquium. Quod inter partes quo commodiùs, è loco propinquiori institui possit, Joannes Keményius in oppidum Regen (quod unicũ ab arce Görgényiensi distat miliare) se transfert; Illinc misso ad Principem Barcsaium Dionysio Bánfi, de loco modalitatéq; colloquii per eum concludit, ut ambo in curiâ sub arçe Görgenyiensi sitâ, certo coirent die, decrevëre. Quo adveniente Princeps Barcsaius, cum Sigismundo Bánfi, Comite Comitatûs Dobocensis Consiliario, soceroq; suo, cujus filiam nõ pridẽ sub Comitiis Sespurgiensibus duxerat uxorem, mediocriq; aulicorũ comitativâ, Joannes verò Keményius Gabriele Haller, JoañeBetlenio (quos ad se vocatos redire ad sua non permiserat)

ferat) Stephano Petki, & Stephano Ebeni (qui unà cum ipso in patriam redierant) Consiliariis; Dionysio prætereà Bánfi, Volffgango & Gregorio Betleniis, unà cum eodem Transylvaniam ingressis, comitatus adfuit.

Illic multa utrinq; de persona causaq; propria justitiâ verba. Interdum contentiones. Nulla tamen concordiæ spes. Cujus dicti proceres pertæsi, relictis in cubiculo ambobus, omnes simul egressi. Secretum ultra quadrantem horæ denuò inter ipsos colloquium. Revocati per eosdem dicti proceres, in quorum præsentiâ Princeps Barcsaius, Joannem Betlenium (qui à primordio regiminis sui cancellariatûs munere fungebatur) ipso dictante literas Assecuratorias scribere jubet, quarum hæc erat continentia: *Nec ab Ottomanicâ Portâ, nec à quopiam se auxilia solicitaturum, quin potiùs absolutis ab homagio sibi præstito universis regni Statibus, quicquid illi in Comitiis proximè*

ximè celebrandis concluderent se assensurum, juramento confirmabat. Literæ præterea, quibus sub nomine ipsius, regnicolæ ad Comitia convocarentur, ipsomet assentiente formatæ, quas iidē subscribens per celeres tabellarios Joannes Keményius evulgari curavit.

Anno 1660. circa festum Nativitatis coivêre regni Status, absolutosq; se à juramento Principi Barcsaio præstito, ex convocatoriis ejusdem literis videntes; Ex adverso, Joannis Keményii, Csikiensiumq;, ac Sepsi, Kézdi, Orbai incolarum arma nonnihil metuentes, mobile prætereaPrincipisBarcsaii ingenium (sub quo solidam impossibile erat sperare pacem) exosi, dictis Siculis JoanniKeményio adhærentibus, ferociterq; acclamantibus, utuntur libertate per eum ipsis concessâ. Clementiæ prætereaPortæOttomanicæ desperatio, ingens ad rem pondus addebat, cui magnam summæ regno impositæ partem persolventes, nec relaxa-

laxationẽ residuę ejus partis, nec si integra persolveretur, onerũ recens non imponendorum assecurationem Status obtinere potuêre. His itaque impulsi causis, (certis ad sustentandum honestè Principem Barcsaium ordinatis bonis) Joannem Keményium in Principem eligunt, per quem paucis post diebus Regeninum ad colloquium à novo Principe vocatus Princeps Barcsaius, *literas ad arcium Fogaras & Deva præsidiarios, ut deditionem earum Principi Keményio faciant (adjuncto tamen legato novi Principis) per proprium hominem transmittit.* Sed occulta, eaque contraria (ut inferiùs patebit) ipsius informatio, laborem prædictum irritum reddidit. Ad Budensem pariter & Supremum, Purpuratos, Valachiæque Transalpinæ Principem, *pro auxiliis contra Joannem Keményium (jam novum Principem) ferendis à se solicitatos, ut depositâ subveniendi intentione, Joannem Keményium, regno,* Otto-

Ottomanicæque Portæ se utiliorem in gratiam recipiant, perſcribit. Quibus contraria iterum eum ſcripſiſſe creditum à cunctis, ut inferiùs clariùs.

Ad Sacratiſſimam Romanorum Imperatoriam Majeſtatem, auxilia ejus ac patrocinium imploraturus, legatus ſub iisdem Comitiis Dionyſius Bánfi deſtinatur, mittiturque. Qui poſt longiorem opinione moram, promiſſa reſcribit auxilia, ut in arces Székelyhidam, Kôvár, & Iliam ſuæ Majeſtatis præſidia extemplò pro ejuſdem aſſecuratione recipi deberent ſignificans; Aſſensêre ſine controverſiâ Status. Introductaque in arcem Szekelyhidam & Kövár præſidia; Iliam ſponte neglexêre.

Increbeſcente in dies (quod novi aliquid contra pacta moliretur) de Principe Barcsaio ſuſpicione: Ut in arcem Gôrgény, quam vi pactorum manutenebat (juxta Articulos regni, qui arces Fiſcales apud privatas perſonas exiſtẽ-

tes, præsidiis pro arbitrio Principum posse & debere muniri asserunt) ut à Principe Barcsaio admittatur, novus urget Princeps; qui, sive levitate ingenii, sive justitiâ causæ fretus, paret.

Admisso in arcem Gôrgény Principis Kemenyii præsidio, angustiam ille arcis prętendens, ut potiorem peditum ipsius partem, tanquam in statu privato ipsi non necessariam, Princeps Barcsaius exauctoret monet. Cui, arcem valido tenenti præsidio, non facilè erat reniti, paret itaque jubenti veriùs, quàm monenti. Exauctoratos autem ab eo Hungaros & Germanos milites, ad se promisso stipendio recipit Princeps Keményius. Fogaras ac Deva arces nondum Principi Keményio deditionem fecerant, quin potiùs pro Principe Barcsaio, jam degradato, per iteratas in Portâ Ottomanicâ intercedebant literas; Arx tandem Deva paucos post dies hac in potestatem Principis dicti devenit occasione: Duplici,

Hun-

Hungarico nimirum, Germanicoque præsidio munita erat; nō Magnas quispiam, sed officiales nonnulli mediocris fortunæ, inter se tamen pares, Hungaris præerant. Germanis Thomas Pringer Major, vir promptæ audaciæ, constantiæque singularis, imperabat. Hic Principis Barcsaii literis, quibus à juramento præstito, præsidium absolvens, deditionem arcis mandabat, perlectis, ipsique ac regni Statibus conjunctim se juramento obstrictum sciens, absolutus, à Principe, regno se jam soli, suosque obstrictum asserens, deditionem arcis Statibus offerre vult. Hungari clandestinis (ut à nonnullis relatum) principis Barçsaii informationibꝰ moti, etiam post resignationem principatûs ejus, ipsi reservare nitebantur; imò de auxiliis ferendis, eos Turcis scriptitasse certum est. Hi itaque inter se dissentientes, officiales Hungari de Thomâ Pringer, nonnullisque officialibus ejus captivandis consilia ineunt,

ſubolfacit ille, conjectiſque in carcerem, qui hoc ipſum contra eum fuerant moliti, arcem ſuæ poteſtatis facit, regnoq́; reſignat.

SECTIO XIII.

LÆtus hæc audit Princeps Kemenyius, eosq́; qui per Thomam Pringer captivati erant, Turcis ſcriptitaſſe, ex interceptis cognoſcens literis, (hi erant Paſtor quidam orthodoxæ religionis Andreas Kallai, Joannes præterea Janoſi, Thomas Rafai, Joannes Fodor, ſeculares) Radnotinum (eſt nomen caſtelli) translatos, paucis, aut fermè nullis ſcientibus, circa cujuſdam diei auroram indictâ causâ, capitibus plecti jubet.

Arx Fogaraſienſis (cui Andreas Barcsai, Principis Barcsaii frater præerat) necdum deditionem fecerat; lentam Kemenyianorum obſidionem ab ingreſſu ejus, patientiſſimè ſuſtinens.

Ut per iteratas literas, certumque homi-

hominem denuò ejus demandet Princeps Barcsaius deditionem, ſolicitatur à Principe Keményio; Is itaque ſacerdote ſuo aulico, Stephano Csengeri, ad fratrem miſſo: ne deditionem facere differat, ſeverè jubet.

Paret ille, acceptiſque de propriâ ſecuritate firmiſſimis à Principe Keményio juramentalibus literis, traditâ arce, ad fratrem Görgényinum ſe confert; Unde cum dicto Principe fratre ſuo, paucos poſt dies ſub ſpecie venationis à Principe Keményio evocatus, captivatur, Fogaraſinum (cui ante paucos dies præfuerat) translatus, priùs excruciatus ſuſpendio vitam finit.

Princeps Barcsaius Görgényinum regreſſus, ſeclusâ ab uxore areſtatur. Sigiſmundus Budai, mediocris conditionis nobilis, extra regnum quædam non ſcribenda, ſcriptitaſſe convictus, incarceratus: Rebus Tranſylvanis ſic periclitantibus, caſtella, quæ in viciniâ arcis Varadienſis, juris adhuc Tranſ-

ſylvanici erant, Turcicum ſubiêre jugum. Caſtellum Papmezô; præſidiariis (qui ex Valachis conſtabant) Turcas ſponte vocantibus. Arx Solyomkô; ejus loci Paſtore (aut veriùs incarnato diabolo) Turcas recipiente. Szent Job; cuſtodiæ ruſticorum commiſſa, per eoſdem tradita. Quæ ſi præſidiis fidis munita forent, à nemine oppugnata Tranſylvanici juris eſſent vel hodie. Simile arci quoqueSzékelyhidenſi,quę quatuor ſaltem Varadino diſtat milliaribus, periculum imminebat, verùm Albertus Borbély, raræ hoc ævo conſtantiæ, induſtriæque ſingularis, cum paucis diu arcem tutatus, tandem præſidio Sacratiſſimæ Imperatoriæ Majeſtatis ſuperveniente conſervata eſt.

Joannis Kemény in Tranſylvaniam ingreſſus, electio, Principis Barcsaii renunciatio, ejuſdemque areſtatio, cognita hæç cuncta Ottomanicæ Portæ, iteratæ itaque, primùm Régeninum, mox Radnotinum, ejus ad Principem

novum

novum legationes, ac literæ, placidis tamen verbis; *Ut filio in Portam Ottomanicam pro obside misso, ipse Temesvarinum ingressus, investituram, reliquasque principatûs ceremonias ab Ali Passâ accipiat, oblatum.* Tacuit de filio; *regno tamen de impositâ summâ, auctoq; tributo, remissis, priùs assecurato, semet iturum promittit*, legatosq; Ottomanicæ Portæ clementiam prolixis ei pollicentes verbis benè donatos dimittit; exercitu interim Turcico in limitibus regni ad bellum se accingente.

Eodem anno 1661. Generalia Februario mense denuò Bistricium regni Comitia indicit. *Principem Barcsaium contra pactum cum Statibus seque initum, multa molitum, ex interceptis literis, conscientiosaque quorundam relatione probat ibidem Princeps Keményius; grandem præterea pecuniam, ad contentationem Ottomanicæ Portæ per extraordinarias exactiones à singulis extortam, nec dispositioni Principum*

unquam subjectam, eum inutiliter abligurivisse asserit.

Ut diligens quocirca, ne ad extra scriptitare posset regna, ipsi adhibeatur custodia; De pecuniaque prædictâ, cui (proventibus Fiscalibus ipsi salvis permanentibus) non licebat admovere manus, ratio ab eo exigatur, pro eademque, propria Principis Barcsaii bona, Joanni Keményio Principi apprehendere liceat. Ingruentibus autem propter eum in Transsylvaniam periculis, de personâ quoq; ejus secundùm pacti ipsiusmet conditiones agere fas esto, decrevêre.

Malè interim propter occisum à se, contra juramentum datum, Andream Barcsaium audire, probè sciens dictus Princeps, rationem facti sub iisdem reddit Comitiis: *Eum in captivitate Crimensi, unà secum captivum, ipsoq; vade carceris ea conditione relaxatas fuisse molestias, ut ille inscio invitoque Principe Keményio non fugiturum per Sacrosanctam juraret Trinitatem, violato*

lato interim prædicto juramento, fugâ illinc elapſum, moleſtias ipſius tanquam vadis auxiſſe, ſe itaque (quod excluſis quibusvis juris proceſſibus, eodem ita contrahente, licitum fuerat) perjurii ab ipſo pœnas exegiſſe, dicit.

Summa ad contentationem Ottomanicæ Portæ collecta, (clementiæ ejuſdem omni ſpe ſublatâ) ad conducendos contra eam exercitus, ibidem deſtinata.

SECTIO XIV.

MEnſe Junio, [1661] (ingraveſcentibus regni negotiis) Generalia iterum convocantur in civitatem Saxonicalem Medgyes Comitia; *ibi violatis proprii contractûs conditionibus multa poſt renunciationem, Principem Barcsaium machinatum fuiſſe, manifeſtiùs comprobatum, exhibitiſque propriis contractualibus literis, in quibus iiſdem violatis, omnibus juridicis remediis & proceſſibus excluſis, pœna ſemet*

submiserat, ut juxta continentiam illarum contra eum Princeps Keményius procedere posset, permissum. Apparatus verò Turcarum eidem Principi Keményio notus, per celeres tabellarios Sacræ Imperatoriæ Majestati jam pridem significatus erat; Quos Transylvaniam versus se cum exercitu movisse denuò perscriptum; non tamen integra fides (ut par erat) adhibita. *Suam enim Majestatem, nisi Transylvaniæ pax concederetur, non amplius cum Ottomano pacem culturam, apertè declarâsse, nec contra hanc belli denunciationem quicquam (etiamsi minaretur) facturum Turcam certò credere rescriptum.*

Quæ opinio tamdiu in aulâ suæ Majestatis perduravit, donec mense Junio Purpuratus Budensis (Ismaël dictus) per passum (quæ Porta ferrea olim dicebatur) cum parte exercitûs ingressus, igne ac ferro crudelissimè grassari inciperet, eumq; (subsequente cum mole belli Ali Passâ) jam ingressum perscriberet

beret Princeps Keményius. Quo sua Majestas (præter spem) audito, Generalem à Monte Cuculi ad succurrendũ Transsylvanis, cum justo destinat & expedit exercitu, ut inferiùs clariùs.

Exercitum Turcicum Transylvaniam ingressum videns, id ipsumque ad liberandum ex aresto Principẽ Barcsaium venisse putans, quo sublato reconciliationem quoq; Ottomanicæ Portæ, nonnihil sibi somnians Princeps Keményius, Franciscum Kôvér Dapiferorum suorum Magistrum Siculum, ac Jonam Varadi, Capitaneum ex Hungaria oriundum, cum certis expedit equitibus, qui Gôrgényino (tanquam in arcem Kôvar translaturi) dictum Principem eductum in itinere occidunt, in pagoque Repâ per rusticos humili funere tumulatur. Similem cum eo Sigismundus Budai (quem captivatum scripsimus) sortitur exitum.

Per eosdem dies Ali Passa cum numerosissimo exercitu subsequitur Pur-

puratum Budensem, in districtuque Haczog figit castra, crudelissimè circumcirca igne ac ferro grassatus, in interiora tamen Transylvaniæ, antequam cum Tartaris conjungeretur, non penetrat; Tartaris tandem Bucsakiensibus conjunctus, iisdem ad intercipiendum cum suis Principem Keményium præmissis, ipse lentiori gradu omnia quocunque penetrare poterat igne cædibusque miscens, Szaszvaros & Szaszsebes (civitatibus Saxonicalib9, sed metu ipsius desertis) in itinere incensis, Albā Juliam versus progreditur.

Iteratas tam extra limites regni, quàm Transylvaniam ingressus, ad Status regni transmittit literas, *liberam (Principe Keményio, tanquam invitâ Portâ Ottomanicâ Transylvaniam ingresso rejecto) Principis cujuslibet electionem, ejusq; confirmationem offerens, ab incendiisque ac populationibus desiturum se promittens*; Verùm interceptæ à Principe Keményio literæ ad

quos

quos destinatæ erant non pervenêre. Inter Enyed & Torda civitates, juxta pagum (dum hæc gererentur) Decse, habebat Princeps Keményius castra, vidensque Ali Passam, cum toto suorum robore versus se tendentem; arx Szamosujvariensis, quæ mediocri præsidio munita obvia planè Ali Passæ eum persequenti futura erat, ne ab eodem occuparetur, præmetuens; Commendantem præsidii Kôvariensis Comitem Hectorem à Brazen, *ut dictâ arce, tanquàm loco remoto, ob idq; tuto, sub quodam officiali cum parte præsidii relictâ, ipse cum potiori suorum robore Szamosujvarinum, (ubi major ostentandæ virtutis Christianitatique suppeteret serviendi occasio) se conferret, requirit, à quo assensum.*

Antecessores interim Ali Passæ, (Tartari nimirum Bucsakienses) Alvincinum (quod unicum Albâ Juliâ, tria verò à castris Principis Kemenyii Hungaricis distat milliaribus) jam penetrave-

rant, dum dictus Princeps cum hoste ante succursum (quem sperabat) Imperatoris Romanorum, ut aperto confligat Marte, imparem se videns, intactum interea reservare volens exercitum; Partem quæ ex Siculis constabat, (octo cohortibus stipendiariorum adjunctis) Stephano Petkio Consiliario, Csikiensiumque Capitaneo regendam tradit, *eidemque ut Cibinium, ac illinc Fogarasinum versus tendendo, incertum apud hostes suum reddat iter, pugnam interim omni ope præcavendo, ad meliora exercitum reservet tempora, demandat.*

SECTIO XV.

Ipse exercitu reliquo, totâ nimirum Comitatuum Transylvaniæ nobilitate, Siculorum quoq; nobilium præcipuis, stipendiariis nec non militibus Comitatûs Egerbegyinum, illinc juxta vicum Boncida ad ripam fluvii Samosii (relictâ ubique more militari retro-

guar-

guardiâ) transfert castra. Quo in iisdem subsistente, Dionysius Bánfi, qui ante complures menses ad Sacram Romanorum Imperatoriam majestatem, auxilia imploratum, á Principe ac regno fuerat expeditus, cum benignâ suæ Majestatis resolutione supervenit, eam tam in scriptis exhibens, quam verbotenus hisce coram regni proceribus proferens verbis: *Sua Imperatoria Majestas, testato orbi Christiano paterno erga afflictos zelo mota, (postpositis quæ Principes Transylvaniæ contra Augustissimam ejus domum olim perperam fecêre) in tutelam patrociniumque suum Transylvaniam clementer recipit in pristinumque eam statum succursu, quem propediem visuri estis, restituturum benignè promittit.* Fumum jam per Ali Passam aç flammas vomebat Transylvania, verùm subsidii ob oculos fermè versantis ejusque ope postliminio rediturae pacis spes, omnium leniebat dolorem.

Ob-

Obtentâ interim ope ſuæ Majeſtatis victoriâ, quibuſnam regnum Tranſylvaniæ, ejuſdemque Status Coronæ regni Hungariæ ſubjacere debeant conditionibus, qualiterque immunitates ipſorum obſervandæ forent, quoniam nihil horum reſolutioni ſuæ Majeſtatis erat inſertum, victoris hæc omnia reſervata arbitrio perſpiciebant oculalatiores. Tartari interea ab Ali Paſsâ (ut ſuperiùs ſcriptum) præmiſſi, ſive fortuitò, ſive itineris Principis Keményii gnari, veſtigiis ejus inſtitère, retroguardiáque ejus visâ, ſubſequentium procul dubio ſociorum conjunctionem præſtolantes, ſubſtitêre. Quo dictus Princeps intellecto, circa tertiam pomeridianam diei Veneri dicatæ, à vico Boncida motis repente caſtris, inſtructis tamen militariter ordinibus, circa occâſum Solis, juxta Szamosujvâr arcem paululùm ſubſtitit, eademq; nocte Hungariam verſus ulteriùs progreſſus, ſub radice alpis Emberfö dictæ,

juxta

juxta pagum Negerfalva figit castra. Tartaris in tenebris minimè eum prosequi ausis, aut volentibus.

Sequenti Sabbathi nimirum die dictam alpem Emberfô transgressus, sub radicibus alpium, quæ Maramarosinum, reliquasque interjacent Transsylvaniæ partes, juxta pagum Oláh Lápos, ibidem sequenti Dominico nimirum die moraturus, locat castra. Verùm circa octavam ejus diei matutinam, Tartaros ad sinistram non procul visos certò allatum; Nec eventus defuit. Tartari enim ad persequendum dictum Principem missi, aberrantes per alpem Emberfô vestigiis ejus, ipsoque ad dextram per errorem relicto, Rivulinum versus (quæ Hungaris Nagy Bánya) properantes, Magnatis cujusdam Joannis Zombori viduam, cum multis rusticorum millibus ex inopinato intercepêre, celerique ulteriùs provecti cursu, in ditione Regis Hungariæ integras regiones in propriis oppres-

presséːre domiciliis, die verò Lunæ & Martis, Szakmarinum prætervecti, multa per eos hominum millia in captivitatem asserta juxta pagum Domahidâ congregavêre, lento interim itinere cum totâ belli mole (non tentatâ arce Szamosujvárienſi) Ali Paſſa eos ſubſequitur.

Audito (ut præmiſſum) in caſtris principis Keményii Tartarorum rumore, non mediocris eos perculit terror, maximè verò ſtipendiarios, qui à pueritiâ latrociniis ruſticorumq; ſpoliationibus inſueti, nec viſo, nec perſequente quopiam, fermè omnes Maramaroſinum verſus aufugêre, ubi nemine qui eos inſectaretur viſo, tandem ſubſtitere, nobiles Tranſylvani unà cum dicto Principe, lento eos ſubſequuti itinere, occluſis à tergo alpium itineribus, in Maramaroſinum penetrârunt, poſitiſque eodem die ſub radicibus montis, ſequenti juxta oppidum Sziget, tertiâ Técsö, quartâ in

pratis

pratis arcis Husztiensis, ubi regnum Transylvaniæ terminatur, castris, ibidem substitêre, per eos (ut præmissum) dies, in ditione Regis Hungariæ, flammâ ferroque grassantibus Tartaris.

SECTIO XVI.

INnumeram captivorum multitudinem ad pagum Domahida (ut superiùs scriptum) congregavêre Tartari, quos ibi substitisse, dũ præsidii Szakmariensis Supremo Commendanti, Comiti ab Hejster cognitum, *Principem Keményium, ut secum conjunctus ad vindicanda in libertatem tot Christianorum millia properaret, per celeres requirit tabellarios.* Annuit ille, maturatque sub noctem (relictis impedimentis) Szakmarinum versus iter; Unde duobus saltem jam distantẽ milliaribus, recentiores dicti Commendantis literæ, quibus Tartaros cum multitudine captivorum ab Domahidâ discessisse nũciabatur, ut subsisteret coëgere.

Quo

Quo Princeps Keményius intellecto, juxta Sásvár vicum in ripâ Tibisci locat castra; Ibidemq; iis relictis, ipse cum paucis Szakmarinum, ad educendam illinc Principissam, quæ Kôvárino Aranyas Medgyesinum, illinc Szakmarinum metu Tartarorum fugerat, se confert; Musquetariisque centum pro comitivâ ejus à Generali ab Hejster impetratis, post unius diei moram, secum eam educit. Versus Rivulinum (quæ Nagy Bánya) præcipuis ad explorandos hostium conatus (de quibus nihil certi constabat) missis cohortibus. Cui in viciniâ castrorum in viculo quodam cum Principissâ prandenti, speculatores multa Tartarorum millia à se visa, totamque Ali Passæ exercitûs molem, non procul subsequi referunt; Muliebrem itaque comitivam ad tutiora transmittere congruum ratus, Principissam cum nonnullis magnatũ Transylvanicorum familiis juxta arcem Nyaláb eodem, sequenti verò

dic,

die, in arcem Huſztienſem cum dictâ centum muſquetariorum, trecentorumque equitum comitivâ mittit; Plures interim ad iter conatuſque hoſtium explorandos Aranyas Medgyeſinum verſus remittens equites.

Ut ab ingruentium (ſi caſus ita ferret) hoſtiū interea impetu, quibus tam numero, quàm robore longè erat inferior, tutus eſſet, Tibiſco juxta vicum Tiſzabecs vado trajecto, in ulteriore ripâ, unde longè lateque fumantia pagorum viçorumque incendia intueri poterat, figens caſtra.

Subſequutus per longitudinem Tranſylvaniæ antecurſores ſuos cum mole belli Ali Paſſa, ingentique circumcirca cæde ac incendiis graſſatus, ſignanter, templo Albano inſignis ſtructuræ bibliothecaq; maximi præcii, incenſis, ſolum Principem Keményium aſſequi ſtudens, nullum fortalitium, nullam obſederat urbem, tranſgreſſuſque juxta Rivulinum (Nagy

Bánya

ingressus iter, iis non sine molestiâ superatis, juxta pagum Kis Lona fessum subsistere jubet exercitum, nec illic moratus, motis sequenti die castris, inter Tibisci Bodrogique fluviorum fluenta, ex opposito oppidi Zemlyén locatis castris, ibidem Simonis Keményii sibique subordinatorum conjunctionem opperiri statuit; Qui versus Munkácsinum (ut præmissum) tendens, à Principissâ Rakocianâ (Michaële Mikes, qui tam ad bellum Polonicum maximè Principem Rakocium incitaverat, quàm sequentium propriæ patriæ procellarum semper princeps, pugnarum ad Portam Ferream, arcemque Gyaluinam ejusdem Principis cum Turcis initarum primus suasor, primusque sine vulnere desertor fuerat, maximè contradicente) vix liberum passum, uniusque noctis in campo moram obtinere potuit.

Ulteriùs illinc sequentibus progressus diebus, juxta oppidum Zemlyén è regio-

regione exercitûs paterni poſitis caſtris, ipſe ad patrem revertitur.

Habente juxta arcem Nyaláb caſtra Ali Paſsâ, dum nulla ampliùs Principem Keményium aſſequendi eum lacta aret ſpes; Cum ſelectâ equitum manu, aſſecuratoriiſque literis ad arcem Huſzt, Paſſam Huſzain, qui Jenienſium Temeſvarienſiumq; Purpuratus erat, cum literis expedit; Quarum continentia hæc erat: *Summopere ſe mirari, cur in gratiam unius hominis, contra Ottomanicam Portam rebellare præſumerent, alteruter itaq; Comitum, Franciſcus, vel filius ejusdem Ladislaus Redei, ſive Nicolaus Zolyomi (qui per Keményianos in eadem arce àreſto detinebatur) ad ipſum in caſtra ſe conferat, cui tam incolumitas, quàm principatus Tranſylvaniæ ſub juramento promittitur, populationes inſuper ac incendia non ampliùs in dicto regno fore, jurat.*

SE-

SECTIO XVII.

COnficit prædictum ille iter, copiisq; sub arce in planitie collocatis per rusticum quendam duosque Turcas, literas fidei ipsius commissas, in arcem Huszt transmittit.

Verùm directio arcis, iis qui vocabantur jampridem adempta, Dionysio Bánfi, præsidioque Principis Keményii subjacebat; Rejecti itaq; cum ignominiâ legati, vulneratus quinimò per Centurionem quendam Principis Keményii, ignobili natum patre (Matthiam Madarász) alter eorum.

Explosa insuper contra cohortes Huszaim Passæ tormenta, qui re tandem infectâ ad Ali Passam, juxta arcem Nyaláb castra habentem revertitur.

Ille proposito suo non succedente, maximè verò ob inflictum legato vulnus excandescens, iterata in Maramarosium Tartarorum irruptione, incen-

diiſque, injuriam ulciſcitur; Deſtitutuſque tam novi Principis ex Tranſylvanis magnatibus creandi, quàm Principem Keményium aſſequendi ſpe, non amplius illic moratus, tentato priùs (ſed ſine tormentis) per Purpuratum Budenſem repentino eoque iterato, incaſſum Aranyas Medgyeſinum inſultu, Tranſylvaniam verſus reflectit iter, Rivulinum (Nagy Bánya) in egreſſu pariter & regreſſu minimè expilans, ſed magnâ commeatûs copiâ ipſis impoſitâ, Judicem ejuſdem civitatis, primoreſque ad colloquium evocatos, ſecum abducens.

Ingreſſus Tranſylvaniam, locatiſque inter oppidum Dés, & arcem Betlenianam caſtris, Tartaris ſimul ac univerſo equitatu Biſtricium ac Maroſvaſarhelyinum verſus emiſſis, integras regiones in favillas redigit, centenos & ampliùs vicos, uni quaſi igni involvens, cæſiſq; potiori ex parte adultis, imbellem utriuſq; ſexûs Chriſtiano-

anorum multitudinem in captivitatem asserit; *Publicis præterea ad Saxonicales aliasque civitates sub juramento missis literis, se dedentibus, (nullo superimposito onere) incolumitatem, resistentibus exitium promittit*; Quæ, tot cladibus, quid ipsis metuendum esset, admonitæ, omnique spe subsidiorum frustratæ, per legatos deditionem fecêre.

Moranti è regione oppidi Zemlyen, (quod tribus à Tokaino distat milliaribus) cum suis, ut præmissum, Principi Keményio, Generalem Monte Cuculi cum armadâ Imperatoriæ Majestatis, accelerato quantum fieri poterat itinere, in succursum ipsius ac regni venire, nec procul distare, innotescit; Qui extremâ Transylvaniæ ruinâ cum suis penè exanimatus, resumpto animo, *Michaëlem Teleki celeri cursu eum adire, ac intellectis Transsylvaniæ periculis, ut maturet iter, obtestari demandat, aliàs fortalitia quo-*

que Transylvanica (arces nimirum) quæ hactenus in fidelitate perstiterant, ne desperatis auxiliis deditionem faciant, maximè metuendum esse nunciat.

Paret ille, certoque loco ac die, ubi & quando, cum Principe Keményio se conjungeret præfixo, Michaelem Teleki remittit.

Motis itaque è loco prædicto Princeps Keményius castris, ipse cum paucis equitibus ad Principissam in arcem Husztiensem divertit, illicq; nihil moratus, juxta oppidum Majtin armadæ suæ Majestatis conjungitur. Cui egregiè instructum, moreque militari (quasi eodem temporis momento pugnandum esset) decenter in cohortes distributum exercitum ostentat Generalis Monte Cuculi, qui tam numero, quàm robore ad exturbandum è Transylvaniâ Ali Passam sufficiens, ab eo, reliquisque Transylvanis judicatus, magnam in spem erexit, paulò antè despe-

ſperantes: Tormentorum quoq; juſtus aderat numerus, quicquid itaque temporis ad iter conficiendum intereſſet, id ſolum victoriam morari videbatur.

Læti & alacres quocirca continuant Tranſylvaniam verſus iter. *Stephanus quoq; Petkius (quem cum certâ exercitûs parte in Tranſylvaniâ à Principe Kemenyio relictum ſcripſimus) de ſubſidiis appropinquantibus admonetur, quibus Tranſylvaniam ingreſſis, quanto amplioribus fieri poſſet Siculorum copiis, è regione Csikienſi, (ubi hactenus munimentis natura fiſus ſubſtiterat) ut egreſſus conjungere ſe ſtuderet, eidem imperatum.*

Arcium præterea Görgény, Fogaras, Deva, Szamoſujvár, (quæ hoſti viciniores erant) Comendantes ac præſidiarii, ut in fidelitate perſiſtant, admoniti. Conformes ad civitates Saxonicales tranſmiſſæ literæ, ſed eas deſperatio terrorq; hoſtilis deditionem (ut præmiſſum) jam facere coëgerat, à ſingulis-

 gulis-

gulisque missi ad Ali Passam legati, vel verius obsides, in castris ejus, sub specie consultationis præsentes erant.

Translatis Marosvásárhelyinum Ali Passa castris, per literas juramentales medio duorum civium Marosvásárhelyiensium transmissas, principatum Stephano Petkio offert; verùm ille deditionem pariter & principatum renuit. Rejectus ubique Ali Passa in furorem quasi actus, Tartaris, Turcicoq; equitatu emissis, Sedes Siculicales Marus & Udvarhely, cæsis quos nancisci potuit aut captis incolis, integras Vulcano tradit.

Sciscitari tandem à legatis civitatum in castris suis præsentibus, utrum quempiam è Magnatibus, Transylvanicis principatu dignum in civitate aut castello sibi subjecto degentem scirent, incipit; Qui post multas meditationes, Magnatem quendam Michaëlem Apafium, qui è captivitate Crimensi grandi non pridem ære redemptus, ex

com-

compassione domi relictus esset, in proprio castello Ebestfalviensi degere referunt. Hic erat ex antiquissimâ Magnatum familiâ ortus, pius, sed tam naturâ, quàm propter diuturnas carceris Crimensis molestias, plus justo demissus, ac lenis, ut adepto etiam principatu, nimiæ à plerisque lenitatis insimularetur.

Lætus audit hæc dicentes ille, certasque cum Magnate quodam ad eum evocandum, (aut veriùs educendum) mittit cohortes. Qui nihil unquam hac de re meditatus, audito Ali Passæ nuncio, extabescit, conjunx vero in horas partui vicina, utrum se, vel maritum, (de cujus salute desperabat) defleret, plane ignorat: Nunquã enim principatui eum inhiâsse, fateri coguntur vel ipsius inimici, ob idq; non spes principatûs, sed præsentissima veriûs ante oculos castellum proprium exeuntis obversabatur mors, verùm locus per se debilis, prçsidioq; ac munitionibus de-

ſtitutus, parere eum coëgit.

Egreſſus itaque ingenti animi cum angore, ne territorium quidem proprii tranſierat caſtelli, dum citato eques curſu ſuperveniens, *primogenitum peperiſſe uxorem ſuam lætus annunciat*, quo, utrum lætus aut triſtis audiret, hærente, comites Turcæ felicem fortunatumque eum futurum Principem ominati ſunt.

Ingreſſus caſtra Ali Paſſæ, tanquam Princeps honorificè excipitur, in tentoriumque ſolenniter erectum deductus, ſive gratificandi, ſive (veriùs) cuſtodiæ gratiâ, certus Janizarorum numerus eidem adjungitur.

Sub idem tempus, nobiles (qui ſecuritatis gratiâ in civitates Saxonicales confugerant) juſſu Ali Paſſæ caſtra Turcica adire compelluntur, inter quos Thomas Baſa Conſiliarius pedibus æger, Franciſcus Caſſai, mole corporis ad labores caſtrenſes inhabilis, (ob id utrique è bello Keményiano abſen-

absentes) non magnus præterea mediocrium nobilium numerus erat.

Rebus hoc ordine fluentibus; Principem Keményium cum armadâ suæ Majestatis limites Transylvaniæ ingressum, Claudiopolim appropinquare fertur Ali Passæ.

Ut itaque libera Transylvaniæ Principes eligendi facultas, non penitùs Statibus adempta videretur, prædictos nobiles, legatosque civitatum in castris præsentes Principem Ali Passa è suorum numero eligere jubet, nomine potentissimi Imperatoris insignia Principibus pro confirmatione dari solita, se daturum promittens, à quibus facilè de Principe Michaële Apafio assensum.

In cujus principatu inter cætera memoratu dignum; vocatum quidem (aut veriùs adductum) ab Ali Passâ, ut Principatum subiret, exceptumq; honorificè constat, verùm antequam Principem Keményium, armadamque suæ Majestatis appropinquare constitisset,

tiſſet, minimè electum, aut inſignia principatûs eidem tradita, ſed his priùs intellectis, principatum ejus ſumpſiſſe initium; Non immeritò itaq; niſi ſuccurſus ſuæ Majeſtatis aliquem Turcis incuſſiſſet terrorem, non ampliùs eos Principem fuiſſe creaturos, perſpicatiores ſuſpicari poſſunt.

Appropinquante cum armadâ ſuæ Majeſtatis Claudiopolim Principe Keményio, caſtraq; juxta vicum Sombor habente, Germani equites pabulatum egreſſi, in Tartaros per ſylvas ruſticos ſcrutantes fortuitò incidêre, occiſiſq; quatuor, quintum vivum in caſtra perduxêre. Promotis illinc caſtris, penes pagum Korod (qui exiguo Claudiopoli diſtat milliari) ſubſtitit exercitus Cæſareanus; Illinc, Georgius Vér, cum certâ equitum manu ad intercipiendos hoſtes miſſus, quinque poſtriduum captivis adductis, revertitur, ex quorum relationibus, ubinam Ali Paſſa eſſet, qualem haberet exercitum, quibusve

nego-

negotiis occuparetur, intellectum, quę omnia hactenus incognita: Numerus verò hostium, armadam suæ Majestatis, adjunctosque ei Hungaros, quadruplo superabat.

Quo Generalis Monte Cuculi, substitutique eidem officiales intellecto, retepuit in cunctis, hactenus continuatus pugnandi ardor; *Dictusq; Generalis, se Generalibus personis fermè omnibus (quarum pleræque in rei veritate febricitabant) ægrotantibus, peditatuque inediâ confecto, exercitum suæ Majestatis, in cujus salute totius orbis Christiani salus consistere videtur, periculo minimè objecturum soli Principi Kemény io aperit.*

Et dictum quidem peditatum fame laborâsse certissimum est, quamvis enim annus ferilissimus maximam frugum produxisset copiam, nihilominus pedites parato destituti pane, inter ipsos tritici acervos fame emoriebantur.

 Obstu-

Obſtupuit eo audito Princeps Keményius, è magnaq; ſpe puncto temporis ad extremitates cum ſuis redactus, vix lachrymas continere potuit, ſed neceſſitate prædominante parere cogitur.

Generalem Monte Cuculi denuò, primùm per Gabrielem Haller, mox ipſemet coràm, de inducendo Claudiopolim præſidio, requirit; Quem ne in extremam ille deduceret deſperationem, nihilque in gratiam ejus feciſſe videretur, præſidium perſonarum circiter mille, ſe ei traditurum reſpondet; Quod effectivè eodem die circa occaſum ſolis per ipſummet Principem Keményium in civitatem introductum. Stephanus præterea Ebenius cum certis Hungarorum equitum cohortibus ibidem relictus.

SECTIO XVIII.

STephano Petkio de inſperato admonito regreſſu, ut cum Siculis in fide- *litate*

litate persisteret, ubi verò inevitabile videret imminere periculum, tempori cedendo, ad meliora se ac Siculos reservaret tempora, imperatur; Quem jam in procinctu stantem non mediocriter hic perculit rumor, totusque ad viam, quâ ex Sede Siculicali Udvarhely Csikinum versus patet iter, quaque hostem illuc penetrare posse conjectabat, aggeribus ac fossis muniendum se confert.

Princeps Kemény ius, Generalisque Monte Cuculi, sequenti die, mœsti, victisque similes, (nullo hoste hujus rei conscio, eo minus persequente) Hungariam versus retrocessêre.

Et quod silentio minimè prætereundum, nec Ali Passa de Principis Keményii regressu, nec his de illius intentione, quicquam scientes, eadem qua Princeps Keményius Hungariam versus reflexit iter, die, Michaël Apafius per Ali Passam in Principem investitus; Ut in retroçedentis (quasi) illius lo-

cum, hunc fata Principem substituere viderentur.

Eadem, quâ dictus Princeps die regreditur, cum certâ Dragonum manu, nobiles qui è Siculis selecti hactenus cum eo fuerant, ut eos priùs tamen Szamosujvarinum (ubi mediocre erat præsidium) comitarentur, in sua dimissi.

Similiter, nobiles quoque Comitatuum Transylvaniæ (exceptis nonnullis proceribus, Consiliariisq; quos secum reservârat) admoniti priùs, quamdiu extrema non ingrueret necessitas in fide persistere, dimissi ad conjuges liberosque, (quos in civitatibus Saxonicis reliquerant) rediêre.

Exercitus verò suæ Majestatis, quinq; millibus circiter suorum fame morboque absumptis, Szakmarinum, illinc in partes Hungariæ ulteriores se recepit.

Quo Ali Passa audito, maximâ solutus solicitudine, dimidiam quingentorum millium imperialium; quæ ante biennium

nium regno imposita erant, partem, civitatibus Saxonicis imponit, quibus se tanto oneri impares asserentibus, universa nobilium, pro securitate illuc translata esse dicens bona, ex iis, propriisq;, ut persolvant, urget.

Nec conjectos in captivitatem legatos, ante depositionem prædictæ summæ, è castris domum redire permittit.

Publicis præterea ad Siculos missis literis, semet dedentibus sub juramento securitatem offert, refractariis exitium minatur.

Csikiensibus munimentis naturæ, Sedium verò Sepsi, Kézdi, & Orbai incolis, præsente jam autumno, distantiæ loci fisis, ob idque jussa apertè detrectantibus; Siculis verò Sedium Udvarhely & Marus, hostibus quamvis adeò vicinis, ut recentiores identidem pati cogerentur populationes, dubiis, interque auxiliorum spem, metumque hostilem hærentibus; Quorum contumaciâ Ali Passa exacerbatus, motis Radno-

Radnotino, ubi complures transegerat septimanas, versus Siculos castris, reliquiis Sedis Siculicalis Marus, quæ intercipi potuêre, deletis, relictaque ad dextram civitate Saxonicali Sespurgiensi, (jam cum reliquis dediticiâ) Sedem Siculicalem Udvarhely cum toto ingreditur exercitu, ferro flammaque crudelissimè grassatus, tandem eos ad deditionem cogit, fixisque juxta oppidum Udvarhely dictum (quod provinciæ ejus metropolis, denominationemq; Sedis Udvarhely eidem dedit) castris, *per literas (quas medio deditiorum Siculorum Sedis Udvarhelyiensis transmittit) Csikienses, ac Sedium Sepsi, Kézdi, & Orbaiincolas, ad deditionem hortatur*; Et hi quidem appropinquantis, crudelissimeq; grassantis exercitûs multitudine perterriti, deditionem non abnuunt: Soli Csikienses unà cum Stephano Petkio, munimentis naturæ, quæ à nullis unquam hostibus ab ipsorum memoriâ penetrata, infelici-

feliciter, jactabant, fisi, bellum, quàm pacem, maluêre, cum maturas illic fieri nives gnari, deficiente jam autumno, in horas inaccessibiles se fore ominarentur.

Magna præterea auxiliorum principis Kemény ii, quem per literas ac nuncios indesinenter urgebant, alebat eos spes. Arces quoque Szamosujvár, Görgény, Fogaras, Deva, ac urbs Claudiopolis, nondum Ali Passæ parentes, animabant eos.

Princeps verò Keményius, qui (post discessum exercitûs Cæsariani) in limitibus Transylvaniæ, regno Hungariæ contiguis, cum stipendiariis, propriaque aulicorum cohorte, in quartiriis degebat, auditâ regni oppressione, extremitateque Siculorum, vehementer animo angebatur; aperto Marte succurrere posse, imparem se fatebatur; eosdem verò deserere, abjecti putabat esse animi.

Certis tandem à Generali Monte

Cuculi

Cuculi equitum ac dragonum cohortibus impetratis, ipſemet Tranſylvaniam ingredi, per alpeſq; Csikienſium, arci Görgényienſi (quæ ſub poteſtate ipſius erat) vicinas, certam militum manum, quæ Siculis adjunctis defenſioni anguſtiarum ſufficeret, tranſmittere decrevit. Sed eo ad iter ſe accingente, repentinus filii junioris Franciſci (ex quo poſt quadriduũ deceſſit) morbus, irritum fore conatum indubitatè ominatus eſt. Mirabili præterea Dei diſpoſitione, eadem, quâ ad ſuccurrendum Csikienſibus, dictus Princeps Keményius ſe movit, die, imò horâ, (ut certò deinde cognitum, miſerrimi, profligati, devaſtatique, ut inferius.

SECTIO XIX.

REjectæ à Csikienſibus Ali Paſſæ admonitiones, in furorem rapuêre eum, ſelectos itaque ex toto exercitu tam pedites quàm equites, (imò totum exercitûs ſui robur) unà cum Tar-

Tartaris, ſub directione Iſmaëlis Purpurati Budenſis, ad expugnandos eos expedit. Ipſe cum Principe Apafio in caſtris, juxta oppidum Udvarhely (ut præmiſſum) poſitis, eventum rei expectans.

Ingreditur deſtinatum ille iter, per viam ipſemet, quæ e Sede Udvarhelyienſi Csikinum commeantibus conſueta erat, Janizaros, reliquoſque ducens pedites. A dextrâ Turcarum equitatum, à ſiniſtrâ Tartaros, aggeribus foſſiſque, quibus Csikienſes ingreſſum fortiter muniiſſe dicebantur, circuitis, à tergo eos adoriri demandat.

Ingentem præterea , (abundans multitudine militum) equitatum à tergo ſe ſequi jubet.

Exadverſo, Csikienſes prædictam ſaltem viam, nonnullaſque ſemitas, aggeribus ac foſſis per eos munitas, univerſi, qui arma ferre poterant (alibi alpes ſuas inacceſſibiles rati) defendere ſatagunt, quos tamen opinio ipſorum longe

longe fefellit; Peditum enim cum Iſmaële per prædictam viam irrumpentium dum impetum fortiſſimè ſuſtinent, imò rejiciunt; à ſiniſtrâ per avia & antea inacceſſa, ingreſſi Tartari; antequam de ingreſſu hoſtium apud eos quicquam conſtaret, integras Csikienſium familias, quæ tanquam in altâ pace, domeſticis erant occupatæ negotiis, rapere, villaſque incendere cœpêre.

Penetravêre, à dextrâ quoque eorum, Turcici equites, Csikienſibus adhuc apud aggeres & foſſas ſtrenuè rem gerentibus.

Qui, vicos ſuos flammam vomere, ſeque ab hoſte circumventos videntes, per ſylvas alpeſque, quo quemq; caſus ferebat, fugere coacti ſunt.

Armatos, in ſylvaq; pugnantes, eadem facile texit, paucique cæſi. Verùm univerſæ totius ferme provinciæ familiæ in poteſtatem hoſtium devenêre; Magnas quidam Franciſcus Farkas è Siculis Udvarhelyienſibus ortus ibidem occubuit. Ste-

Stephanus Petkius, versus Gyirgyo, (quæ exigua provincia è novem saltem pagis constans, inter penitiores alpes sita, Csikiensibus subest,) salvus non sine difficultate evasit.

Quis hic, tot Christianorum millia (nemine vindicante) cæsa vel capta, stupra cædibus, cędes stupris intermixtas, incendia, populationes, aliaque grassantis barbari facinora animo cõplecti, multo minùs describere posset?

Miseremini, ô miseremini lectores, qui succurrere nec potuistis, nec potestis, saltem compatimini calamitatibus nostris!

Ingentis hujus cladis rumor, Principem Keményium, juxta arcem Szamosujvariensem habentem castra vehementer perculit, indolet perditis se supervenisse rebus; Arci interim Fogarasiensi, quâ regressurum Ali Passam conjectabat, præsidio non satis contra tam potentem hostem munitæ, vehementer timere incipit; Nec immeritò:

Cum

Cum ducentis itaque germanis, totidemque Hungaris ad eam muniendam missus magnas quidam Gregorius Betlen, Principis frater matruelis, qui adeò oportuno Fogarasinum ingreditur tempore, ut antecursores Ali Passæ non solùm essent in conspectu, imò velitationes etiam consererent.

Quorum adventu præsidiarii simul, & metu hostili illuc congregata rusticorum multitudo, exhilarati, incensa civitate, ad obsidionem sustinendam se muniunt. Csikiensibus expugnatis, victoriæ istius, ab Ismaële Purpurato, ex aliis autem, iterati Principis Keményii in Transylvaniã ingressûs rumor, simul & semel innotuère Ali Passæ, qui his lætus simul & solicitus, reliquiis Csikiensium pacem petentibus facile ignoscit, motisque Udvarhelyino castris, autumnalibus temporibus in dies magis ac magis frigescentibus Fogarasinum versus tendit. Locatisque dimidio ab arce milliari castris; Conciona-

cionatore aulico Principis Apafii Joanne Enyedino ad præsidiarios arcis Fogarasiensis misso, deditionem ejus tentat ex mandato ipsius Princeps Apafius, sed irrito successu.

Quo Ali Passa intellecto, sive propinquæ hyemis angustiâ exclusus, sive altiori consilio, formalem arcis obsidionem non molitur, repentinum tamen Janizaros reliquosque pedites (nullâ procul dubio arcis bene munitæ, fossâque latissimâ eaq; aquis plenâ circumdatæ, expugnandæ spe, sed extra fossam, juxta equorum stabula, congregata rusticorum aliquot millia prædæ suorum exponere studens) contra eam insultum facere mandat.

Qui dicto audientes, usque ad marginem fossæ audacissime penetravêre, verùm majorum minorumque tormentorum explosionibus male excepti, multis suorum amissis, re infectâ retrocedentes, horreum, acervos tritici, pontemque super fluvium Olt erectum,

ctum ad vindicandum excuſsêre dolorem.

E multitudine ruſticorum (quos illuc congregatos diximus) nulli ab hoſtibus capti, ſed globis utriuſque partis plerique trajecti: Ali Paſſa die ſequenti motis illinc caſtris Cibinium verſus ſe confert.

Princeps interim Keményius motis ab arce Szamoſujvarienſi copiis; arcem Betlenianam juxta ſubſiſtit, eamque Germanico præſidio munit. *Cui ibidem moranti, Michael Teleki (intimus ejus aulæ familiaris) ſaltem certa ipſi Hungarorum, Germanorumq; militum traderetur manus, deditionem Saxonibus Biſtricienſibus (qui ipſi valde eſſent noti) perſuaſurum, audaciſſimè ſpondet.*

Quo obtento, juxta civitatem Biſtricienſem relictis ſuis, ad colloquium prodeunti, hæc reſolutio à civibus data: *Nos infeliciſſimi propter obſequium Celſiſſimi Principis Kemenyii; Otto-*

Ottomanica Portæ resistentes, multis nostrorum amissis, totius circumsitæ regionis incendia sustinuimus, reliquiis vix data salus; Quibus per iteratam rebellionem omnibus pereundum esset; Profligate itaq; potentissimam illam nationem, nos victori objecundantes habebitis; Nec plura loquuti, contra nonnullos, qui in suburbiis grassabantur exploso tormento, duos è Germanis occidêre.

Rejectus itaq; Michaël Teleki ad dictũ Principẽ rediit; Qui reducto in Hũgariam exercitu, equitatũ Germanicũ Szakmarinum dimittit; Stipendiarios suos Debreceninũ in hyberna collocat, ipse cũ aulicâ cohorte sub radicibus alpium Maramarosiensium in vico quodã ignobili, (Bikszáda dicto) in ditione Regis Hũgariæ, egressũ è Transylvaniâ Ali Passæ, rerumq; opportunitates ibidem præstolaturus, hybernatũ subsistit.

SECTIO XX.

MOrante juxta Cibinium in castris Ali Passa, Generalia regni

Statibus Comitia Kis Selykinum (oppidum illud est Saxonicale) Princeps Apafius indicit; Ubi consueto per Principes Transylvaniæ ritu, juramentum de observandis eorum libertatibus (quod hactenus non deposuerat) præstat, reciprocumque ab iis fidelitatis exigit. *Ut ad trigesimum ab expiratione Diatæ diem Transylvani, qui hactenus Principi Keményio adhasêre, sub amissione omnium bonorum redeant*, ibidem cautum, missæque ad eosdem, sed interceptæ per Principem Keményium, literæ, nec priùs, verùm redeundi termino expleto, redditæ.

Imminente hyeme, Ibraimo Passâ cum prçsidio duorum circiter millium, octodecimq; cohortibus Valachorum ad defensionem principis Apafii relicto, Ali Passa Temesvárinum redit, exercitumq; in hyberna distribuit.

Apafius verò Princeps uxore Cbinii relictâ, Medgyesinum (ea est civitas Saxonicalis) cũ dicto se confert præsidio.

Cogni-

Cognita hæc cuncta principi Keményio, ne itaq; occasionibus suis deesse videretur, cum extra regnum positus, diutiùs stipendiariis alendis se minimè suffecturum sentiret, quin potiùs iisdem Debrecinum metu Turcarum deserentibus, ne hyberna quidem posset impertiri, in privato præterea nec posse, nec velle se vivere statu, jam dudum apud se conclusisset, de ingressu in Transylvaniam denuò meditari cœpit.

Literisque Regni Statuum, in quibus de securâ propriorum bonorum possessione assecuratus, ut novercanti cederet fortunæ, nec in exitium regni & proprium potentissimæ nationis inquietaret victoriam, per misericordiam Christi rogabatur, rejectis, tàm à Supremo Generali Monte Cuculi, quàm Commendante Szakmáriensi, Comite à Vallis (familiari quodam Francisco Piheni ad eos adducendos misso) certa Germanorum impetrat & obtinet sub-

ſidia. Concluſam tamen & effectivè jam per ſe inchoatam rem, ne inconſultis aggredi videretur Conſiliariis, Gabriele Haller, Stephano Petki, (qui profligatis, ut dictum, Csikienſibus fugâ elapſus ad Principem Keményium ſe contulerat) Joanni Betlenio, Conſiliariis, Volfgango Betlenio, Joanni Haller, Dionyſio Bánfi, Joanni Szentpáli, proceribus regni, tanquam rem nondum apud ſe definitam, eo minus in actum deductam aperit.

Extremeque urgentes ingreſſus ſui neceſſitates prolixis demonſtrat verbis. *Muſſare in re tam periculoſa illi: Tandem ſubſequuturis illinc malis præconſideratis, intentionem ejus improbare cœpêre.* Circa veſperam in Bikſzádâ hæc acta. Diſſolvit triſtis, Princeps colloquium, conſcenſoq; ſummo mane ſequenti carpento, Gabriele Haller, Stephano Petkio, Joanne Betlenio, Joanneq; Haller, ſecũ currũ conſcendere juſſis, dum Medgyeſinum itur, interruptam

ruptam vesperâ præteritâ materiam resumens, aperte cum dictis magnatibus, quare proposito ipsius adversarentur, contendere cæpit, hæc dicens: *Quæ inevitabiles causæ, ut ingressum in Transylvaniam denuò moliamur, nos urgeant, luculenter aperuimus; Quibus auditis, nonnullas vestrarum Dominationum prorsus silentes, quasdam verò contradicentes cum dolore animi conspeximus, fatemur. Literæ forsitan nomine regni Transylvaniæ Statuum ad vos perscriptæ, per nosque ante paucos dies redditæ, in quibus restitutio bonorum promittitur, mutavêre animum vestrum? Nos quidem de nullius dubitamus fidelitate, interim singulos monemus, literas vel nuncios in Transylvaniam expedire, nisi perire velint, minimè præsumant, Transylvaniâ nos exclusi, ne eadem aliorum quoque patria habeatur, efficiemus; Tandem extra se quasi raptus, convictum se in conscientiâ, sive salutare, sive exitiosum foret, in-*

 gres-

greſſum in Tranſylvaniam tentaturum apertè pronunciat.

Nec à proceribus vix hiſcere auſis quicquam reſponſum. Ingreſſus Medgyeſinum, ſorore matrueli Caſparo Zoltán nobili elocatâ, ante feſtum nativitatis Chriſti tribus diebus Bikſzádinum redit.

SECTIO XXI.

UNde anno ſequenti tertiâ nimirum Januarii Tranſylvaniam verſus ſe movens, poſt duos dies Germanis auxiliis conjungitur. Verùm intenſiſſima, quæ hactenus duraverant frigora, eo iter ingreſſo, in largas continuò verſa pluvias, unde inundationes aquarum ſubſequutæ, difficilimaque reddita itinera, ut ad exitium ruentem ipsâ naturâ remorari videretur.

Continuatum nihilominus iter, Principiſſæq; eum hactenus comitanti, in pago Dobraviczâ, juxta Rivulinum (Nagy Bánya) ſito, ultimum vale dicens,

dicens, Joannem Szentpálium cum duobus equitum Hungarorum millibus præcedere, conjunctumque Stephano Ebenio, (qui Claudiopoli relictus erat) rectà Medgyesinum versus, quo Principem Apafium jam pridem se recepisse constabat, ad occludendũ ejus iter, ne in civitatem aliquam munitiorem se recipere posset, properare jubet. Qui inter se juncti, rectaque quo jussum erat tendentes, ducentos equites ad explorandum statum Medgyesiensem præmittunt, ex quorum præsentiâ hostium conatus Principi Apafio patefacti, qui naturâ pius ac lenis, Christianoq; parcere volens sanguini, convocatis qui secũ erant regni Statibus, singulos ex singulis legatos ad Principem Keményium expedit nationibus, per quos tam suo quàm regni Statuum nomine, *totius patrimonii ipsius quieta possessio offerebatur Principi Keményio, rogabatur insuper, ne contra potentissimam Turcarum nationem ar-*

ma ostentando, in ruinam reliquias afflictissimæ patriæ præcipitaret; à quâ si in gratiam reciperetur, paratum ab omnibus promittebatur obsequium; Quos juxta fluviumSamosium obvios, responso dilato, secum ducit Princeps Kemenyius. Nec in loco interim tam debili diutiùs morari dictus Princeps Apafius tutum ratus, Sesspurgum sequenti die, cum præsidio adjuncto, Hungarisque præsentibus se iturum decernit.

Verùm superveniente nocte, octodecim vexilla Valachorum Transalpinensium, (quæ cum Turcis in subsidium ejus relicta scriptum) hostili perculsa metu, in patriam refugêre.

Quorum fuga maturavit secundum hesternam conclusionem, Sesspurgum transire Principem Apafium, qui tamen nemine lacessente, destinatum confecit iter, in civitateque inferiori cum totâ suorum comitativâ resedit.

Quo eum se contulisse, Stephanus

Ebe-

Ebeni, Joannesq; Szentpálius intelligentes, confestim subsequuti, in oppido Segesd, (quod dimidio ab urbe distat milliari) relictis impedimentis, ne illinc elabi, ut putabant, posset, arctis urbem circumdedêre custodiis.

Informatus de his omnibus per eos Princeps Keményius, ut acceleraret iter rogatur. Verùm ille cunctator naturâ, tunc verò fataliter solito seriùs iter suum dirigebat, nunquam tempestivè, sed circa decimam, imò undecimam matutinam castra movens, sub noctemque, cum ingenti exercitûs jacturâ, propter breves & paucas diei horas, (sicut Januario mense fieri solet) subsistens, quod cunctis, maxime verò Germanis officialibus rei bellicæ peritis stupori erat.

Post longas tandem & inutiles moras, civitati Scspurgiensi appropinquans, præmissos cum Stephano Ebenio, Joanneque Szentpálio equites, in eodem quo locati erant, relinquit quar-

tirio; Germanos in pagum Saxonicalem Valkány collocat, ipse cum prætoriâ cohorte, parteq; exercitûs in pago Fejéregyház subsistit, quæ tria quartiria prope invicem ordinata, per horam facilè adiri poterant. Dicto Principe Keményio, unius ab urbe Sespurgiensi diei itinere distante, Gregorio Betlen, (quem Fogarasinum fuisse ingressum relatum) per euméque Stephano Ebenio, Joanniqueszentpálio octo vexilla Valachorum Transalpinensium; prope civitatem Coronensem, (Brasso Hungaris dictam) alpes transiisse, sub radicibusq; earum substitisse innotescit, missi itaq; ad opprimendos eos cum certis cohortibus Gregorius Betlen ac Joannes Szentpáli, qui famam velocitate prægressi, prædictis cohortibus dissipatis, duobusq; vexillis captis, rem felicissimè cônfecêre.

Dum Princeps Keményius in pago Fejéregyház moram trahit, excubiisque intensissimis, tam se quàm hostes

fati-

fatigat, *advocato Joanne Betlenio, eum literas ad Franciscum Cassai, qui ipsius affinis, novi verò Principis Apafii Supremus Aulæ Præfectus erat, scribere jubet, in quibus, si pacem per legatos tentatã syncerè desiderarent, ut de modalitatibus ejus tractaturus, ad destinatum prodeat locum, hortatur.*

Annuit ille, sequentique se egressurum die rescribit. Quâ illucescente, dum portâ urbis egressus fuisset, ex aliâ civitatis parte equites Hungari impetu in stationes Turcarum facto, velitationem instituunt, quorum clamore, explosionibusq; sclopetorum auditis, regressus in urbem salvus evasit, cui (ut à nonnullis postea relatum) occultæ collocatæ erant, inscio tamen Joanne Betlenio, in campo insidiæ.

Mittit ad Sespurgienses quoque literas, *pristini eos obsequii monens Princeps Keményius, qui perplexis respondentes verbis, nec promisêre, nec denegavêre obedientiam.*

Oppugnationem interim urbis muro non circumvallatę in horas metuens (nec immeritò) Princeps Apafius, dum ab iis se ac suos in arcem recipi desideràsset, apertè id ipsum denegantes, quo animo ducerentur aperuêre.

Quâre cuncti exanimati, sequentique nocte deserto Principe Apafio, plerique Hungarorum per sylvas fuga sibi consuluëre.

Vigesimâ tandem Januarii circa auroram egressus cum quibusdam officialibus Princeps Keményius, civitatem circumspicit Sesspurgiensem, locaque oppugnationi (quæ in sequentem diem erat destinata) opportuna perlustrat.

Ex Hungaris Stephano Ebenio, Michaëliq; Teleki, solis quid apud se conclusisset referens. Unde circa vesperam in proprium regresso quartirium, duo equites, qui in pagum Szász Almás, (in viciniâ civitatis Saxonicalis Medgyes situm) ad commeatus petendos iverant, *magnum Turcarum exercitum eadem*

dem die Medgyesinum esse ingressum, non quidem se vidisse, sed ex fide dignâ rusticorum relatione certò scire, referunt; Qui non planè contempti, nec interim integra fides adhibita, missi itaque plures, qui re diligentiùs intellectâ, aut visâ, cuncta in veritate notificarent, per quos omnis sequenti die (nimirum Sabbathi, qui vigesimus primus Januarii) dubitatio exempta.

Requisitus enim à Principe Apafio de subsidiis contra ingressum hostem mittendis Ali Passa, Kucsuk Memhet Passam (Jeneiensium & Temesvariensium Purpuratum) virum non prudentem, sed temerarium, qui à pueritiâ prædo, mox rebellionis in Asiâ contra Ottomanum motæ princeps, dicto muneri præpositus erat, cum duobus (non ampliùs) sed selectissimis equitum millibus, in succursum mittit, ille celeritate rumorem præveniens, ac cũ vexillis octodecim Valachorum (quos non pridem aufugisse diximus) jussu

Principis eorum, denuò ingressis, eadem die, nimirum Veneri dicatâ conjunctus, Medgyesinum ingressus, sequenti ad reficiendos longo labore suos (si necessitas ingrueret) resumptis ut paululùm viribus, aleam fortunæ exactiùs subire posset, ibidē substiterat.

Convocatis quocirca die Sabbathi (quæ vigesima prima Januarii) exercituum officialibus, quid facto opus sit, consultat.

Quibus, collectis proximè sequenti nocte universis copiis, obviam eundum hosti, fortunæque aleam, antequam cum Principe Apafio adjunctoque ipsi Turcico præsidio conjungi posset, tentandam placuit; solo Principe Keményio (qui illinc quacunque de causa se movens, fugere à Principe Apafio suisque diceretur) propter ignominiosum, (ut ipse prætendebat) fugæ nomen, salubri refragante consilio.

Tandem se de summa rerum deliberaturum, interim officiales in pro-

pria regressi quartiria parati ordinantias à se expectent, dicit.

SECTIO XXII.

Quibus dimissis, ut lucescente die, vigesimâ secundâ Jan. [1662] *exercitus Germanici, ex quartirio suo (Valkány dicto) unà cum impedimentis, Stephanusque Ebeni, cum sibi subjectis Ungaris, ex quartirio itidem suo se moventes Principi conjungantur, jussum.*

Qui dicto audientes, circa nonam ejusdem diei matutinam, distributis in cohortes suis, extra quartirium Principis Keményii, in campo substitêre; Diversi interea equites, Kucsuk Passam Medgyessino egressum, instructis copiis, Sespurgum versus venientem, se vidisse referunt, quorum verbis indubitatam quamvis adhiberet Princeps Kemény ius fidem, non tamen ut inutilem ibi moram terentes suos in occursum hostis duceret, ab iis (quamvis e-

nixè rogantibus) induci potuit, ignominiosum fugæ nomen se præcavere prætendens; Vel mediocris quocirca homo, fato eum torpentem occasionibus deesse bellicis perspiciens adversum ex eo rerum ominabatur exitum.

Eodem die detentos hactenus apud se Principis Apafii, ac regni Statuum legatos Sespurgum remittit; Ipse equum conscendens cum paucis civitatem versus progressus meditabundus complures spaciatur horas, aliis atque aliis, qui hostes appropinquare dicerent, identidem supervenientibus.

Circa tertiam tandem pomeridianam, motis suorum cohortibus, versus pagum Hetur, paulatim & subtristis progreditur, hostes dimidio saltē milliari abesse referente quodam, quibus obviam eundi ne tunc quidem deerat occasio, eo minus alacritas militum, sed ille exercitu juxta pagum Hetur (prædictum) subsistere jusso, reliquum diei cum Germanis officialibus consultando transegit. Circa

Circa occasum tandem solis, nullâ in exercitu dispositione factâ, cum trecentis circiter, versus pagum Nagy Szôlôs, ac illinc ad planitiem, per quam hostis jam abierat, progreditur. Verùm ex tormentorum sclopetorũque quæ Sespurgi in signum applausûs conjunctionis Kucsuk Passæ explodebantur boatu, irritum se laborâsse videns, in tenebris ad pagum Nagy Szôlös regredi, totumque exercitum magnâ cum confusione, ibidem locare cogitur.

Illucescente sequenti die, vigesimâ tertiâ nimirum Januarii, Germanis pariter Hungarisque officialibus convocatis, de summâ rerum tractatur. *Quibus, conjunctione Kucsuk Memhet Passæ, cum reliquis jam factâ, omnem moram periculosam; regressumque versus Hungariam maturandum, censentibus, solus Princeps Keményius, ignominiosum tunc quoque fugæ objiciens nomen, contradixit, quamvis de expugnatio-*

gnatione Sesphurgiensi omni se excidisse spe, pluresque tam ex utraque Valachiâ, quàm ab Ali Passa posse supervenire exercitus, fateretur ingenuè; Interim inter fugam diutinamque moram medium se sequuturum dicens, ut eadem ibidem morarentur die; sequenti verò Berethalminum (est oppidum Saxonicale in meditullio Transylvaniæ, non procul Medgyesino situm) transeuntes, in itinere castellum Principis Apafii Ebestfalva expugnarent, duosque in prædicto oppido morati dies, illinc expugnatâ iterum in itinere civitate Saxonicali Medgyes, versus Hungariam retrocederent apud se decrevisse, refert, cum exercitus Turcicus longo fessus itinere, procul dubio conjunctione contentus, eruptionem minimè meditaretur; Tacendo assensêre officiales, eruptionem hostilem (preter magnatem quendam Petrum Huszar, *qui è captivitate Tartarorum non pridem redemptus, Kucsuk Passam, e quâ hesternâ die ingres-*

gressum, eadem temeritate egressum quoq; ejus diei posse experiri dixerat) nullo eorum reformidante.

Conclusa itaque ejus diei quiete, pabulatum emissi milites, *literas præterea Joannem Betlenium Cancellarium, ad Generalem Monte Cuculi, Commendantemque Szakmáriensem, Comitem à Vallis, de subsidiis contra recentem hostem denuò mittendis scribere jubet, quo eas scribente, rusticus quidam in conspectum Principis Keményii adductus, circa occasum solis diei præteritæ, integrum se hostium vidisse exercitum, quinquaginta triaque ejus refert numerasse vexilla*, nec falsò, verùm conjunctus cum Valachis (ut præmissum) Kuksuk Memhet Passæ exercitus, mihimet, sub initium pugnæ spectanti duorum millium numerum non excedere visus est.

Imminente interim prandii horâ, cunctisq; aut mensæ accumbentibus, aut accumbere volentibus, pabulatorum

rum nonnulli, Turcarum se vidisse referunt cohortes. Signum itaque in campum prodeundi tubâ datum conscensoque ipse Princeps equo, cohortes subsequi jubet, quæ partim exivêre, partim verò nihil magni illic agi credentes, in pago suis occupabantur negotiis, vixque dimidiam tam Hungarici, quàm Germanici exercitûs partem prodiisse asseveraverim.

Appropinquabat interim, (pagum Hetur prætervectus) cum suis Kucsuk Memhet Passa, cujus cum Principe Keményio conflictus ut exactiùs intelligi possit, hæc priùs intelligas oportet: Exercitum Turcicum ab ortu occasum, Principis verò Keményii ab occasu ortum versus inter se congressos; solem utrisq; obliquum consideres.

Principis Keményii exercitus hoc modo erat dispositus. Quoniam vallis, in quâ pugnandum erat, vix capiebat exercitum, à dextrâ juxta marginem cujusdam sylvæ sub Emerico Radak sexcen-

ſexcenti collocati pedites.

Princeps Keményius, cum Hungaricis equitibus, Stephano Ebeni præſenti ſubjectis, in unum corpus coactis, in medio ſubſiſtebat, qui univerſi ſi interfuiſſent pugnæ, quatuor millium numerum excedebant; verùm dimidiam partem abſentem putes. A ſiniſtrâ ſub vineto quodam, Croatarum Germanorumque collocatæ erant cohortes, horum quoq; non parvo numero in pago vacante.

Trecentos præterea è Germanis, ac totidem Hungaros, (inſidias Turcarum veriti) ne circumveniri poſſent, in alterâ pagi margine collocârant. Diſpoſito ſic (ut præmiſſum) Principis Keményii exercitu, eques quidam ex Hungariâ ortus, albâ veſtitus tunicâ, Principem Keményium adiens; Ut magnates Tranſſylvanos, tanquam vitæ ejus inſidiantes, à ſe in pugnâ ſejungat, hortatur, cui (nec authore, nec veritate rei conſideratâ) extemplò paret ille, miſſoque ad eos Michaële Teleki, quodam aulæ fami-

familiari, ut juxta cohortes Germanorum, quo ipse quoque confestim rediturus esset, se recipiant, jubet. Hi fuêre Gabriel Haller, Joannes & Volfgangus Betlenii, fratres Principis matrueles, Paulus Haller, Dionysius Bánfi, Petrus Huszár, Franciscus Redei, Andreas Ugron, omnes è Transylvaniâ oriundi, qui dicto paruêre, nec quisquam è Transylvanis proceribus, præter Stephanum Ebeni, Simonemq́; Keményium, Principis filium, ipsi in pugnâ astitit. Quæ res illorum saluti sola profuit, ut inferiùs patebit.

SECTIO XXIII.

I*Mminente jam planè hoste, alterum dictus Princeps infelici suo fato (quem tempore primi ingressûs sui in curiâ Oerményiensi Casparo Barcsaio occiso obtinuerat) conscendit equum. Ex adverso Kucsuk Memhet Passa duas validissimas cohortes in fronte constituit, ipse in eâ quæ rectâ Hungaris*

erat

erat opposita subsistens. Tertiam satis validam, quartam verò debilem à tergo suorum collocans, nullisque velitationibus præmissis, Kemenyianos aggreditur, à quibus diversimodè excipitur: Turma enim Turcarum, quæ ipsis à dextrâ erat collocata, cum sinistro Keményianorum cornu, ubi Germani ac Croatæ erant, congressa, primis ordinibus fermè omnibus cæsis, nutare, fugamq; meditari cœpit.

Partaque illinc procul dubio victoriâ, nisi Hungari, quos Kucsuk Memhet Passa ipse invaserat, panico correpti timore, desertis sociis fugâ omnes sibi consulerent, incruentamque hosti, ipsomet teste, debiliori, reliquissent victoriam.

Emericus Radak cum sexcentis peditibus neminem lacessens, nec lacessitus à quoquam proximas in sylvas se recepit. Princeps ipse lapsu equi à suis obtritus periit, cui dum suum Stephanus Gyulaius, Dapiferorum ejus Magister obtu-

obtulisset, ipse equo destitutus pro fidelitate periit, non tamen Principem suum contra fata tutari potuit, ejus cædes tunc incognita, ex spoliis tandem ejus, relationeque suorum innotuit, corpus nec tempestivè quæsitum, nec unquam inventum.

Destituti à sociis Germani, ipsi quoq; fugâ sibi consulere coguntur. Cæsiq; plerique, major procul dubio victorum, si diutiùs hostis eos persequi perseverâsset, edita fuisset cædes; Verùm ultra quadrantem milliaris persequi destitit, regressusq; in pagum Nagy Szölös, cunctis totius exercitûs impedimentis, duobus præterea campestribus tormentis, multisque spoliis ditatus, ovans sub noctem Sesburgum, ubi Principem Apafium reliquerat, explosionibus tormentorum exceptus regreditur.

Magnates Transylvani (quos juxta Germanos à Principe Keményio collocatos diximus) inter se divisi, Dionysius Bánfi ac Volfgangus Betlenius versus

ſus arcem Betlenianam, Gabriel & Paulus Haller, Joannes Betlenius, Petrus Huſzár, ac Franciſcus Redei Görgényinum ſe recepêre; Simon Keményius ac Stephanus Ebeni cum reliquis devicti exercitûs Maroſváſárhelyinum, ac illinc Hungariam verſus velociſſimè (nemine tamen perſequente) aufugêre.

Andreas Ugron Fogaraſinum properans, à Saxonibus oppidi Kacza interceptus, ad Principem Apafium (qui eum grandem in redemptionem ſui mutuo dediſſe peçuniam meminerat) perductus, ab eo conſervatus eſt.

Dictus Simon Kemény, occiſi Principis filius, ad Principiſſam, patris ſui viduam reducto, ex quo pater lapſus erat equo, eum utrum viveret, nec ne, ſe latere, (quod tamen certò ſciebat) referens, lenire per complures dies nitebatur extremè deflentis dolorem, verùm ſucceſſu temporis dubitatio menti ejus exempta, globoque trajectus ex

N ejus

ejus mandato mariti equus.

Paucos post dies Dionysius Bánfi, ac Volfgangus Betlenius, qui in arce Betlenianâ substiterant, cum aliis nobilibus securitatis gratiâ illuc congregatis, literas ad proceres in arce Gôrgényiensi tunc morantes transmittunt, *quid illi Principe Keményio fato functo facturi essent, sciscitantes, simul, & consensuros se promittentes.*

Conformes Stephanus Lázár quoque ac Csikienses ad eosdem misêre literas. Quibus per eosdem, quoniam occulto, extraordinarioque Dei judicio, Princeps Keményius in vivis esse desiisset, ulterius potentissimam Turcarum nationem irritando, in majus patriam præcipitare periculum inconsultum putare, seque deditione arcis Görgényiensis factâ præsenti cessuros fortunæ, rescriptum; Assensêre cum Stephano Lázár Csikienses.

Verùm Dionysius Bánfi, Volfgangusq; Betlenius, contemptis eorũ literis,

ris, communicatiſque cum Stephano & Joanne Torma, qui in arce Betleniana erant, ac Stephano Ebeni, (qui Szamoſujvarinum ſe ex fugâ receperat) Petro Keményio, occiſi Principis germano fratre ibidem exiſtente, conſiliis, nonnullis mediocris ſtatûs nobilibus adjunctis, firmiſſimo inter ſe juramento inito, Principi Apafio reſiſtere, Sacratiſſimæque Imperatoriæ Majeſtatis opem denuò implorare decrevêre; Miſſisq; ad Simonem Keményium (qui apud novercam Aranyas Medgyeſini degebat) literis, ex aſſenſu ejus Balthaſarem Matskaſi ad Sacratiſſimam Imperatoriam Majeſtatem expediunt, *ne è fortalitiis Tranſylvanicis præſidia educat, quin potiùs bellum renovet, ſuppliciter obteſtantur, Patre Martino Kaſzoni, qui jam pridem per defunctum Principem Keményium Viennam expeditus, nondum redierat, diligentiſſimè cauſam hanc promovente.*

Paucaſque poſt ſeptimanas Volf. an-

gus iterum Betlenius communi quasi Statuum nomine (sed illis nec conscius, nec approbantibus) ad solicitanda per eosdem missus auxilia, promissisque (ut progressus rerum docuit) procul dubio oneratus ad suos rediit.

Princeps interim Apafius, suis ac Kucsuk Memhet Passæ assecuratoriis literis, ad eos qui Görgenyini morabantur proceres missis, ad se Segesvurgum evocat, arcemque prædictam ab iis deditione recipit.

Ad Sacratissimam præterea Imperatoriam Majestatem, quamvis jam pridem expeditus ejus legatus Gregorius Sárosi nondum rediisset, suo ac Statuum nomine, *Stephano Daniel procere nihilominus misso, pro paterno erga afflictissimum Transylvaniæ regnum ejus patrocinio demississimas agit gratias; ingentem regni, quòd spe succursûs suæ Majestatis, oblatam ab Ottomanicâ Portâ rejecisset pacem, eodem, occulto Dei judicio, non succedente, centum*

tum ad minimum Christianorum millia amiserat, deflet ruinam, reliquias afflictissimi regni, tot afflictionibus prius exantlatis, inevitabili semet submisisse jugo significat, solam fortalitiorum Transylvanicorum præsidiis suæ Majestatis munitorum expugnationem, de quâ iterata jam supervenisse mandata, restare, cui malo de educendis illinc præsidiis suæ Majestatis ordinantiam solam posse mederi, aliàs ne ingressus Alli Bassa eas expugnet, occupetque, maximè metuendum scribit, se in eo esse statu, qui nec jussa detractare, nec quicquam agere volenti præscribere possit. Ne itaque jubente barbaro quod suæ Majestati displiceret facere cogerentur, demississimè hæc notificare voluisse. Expeditus legatus per complures Viennæ moratus menses, cum exiguo (ut inferiùs patebit) fructu mense tandem Aprili rediit; Pater enim Martinus Kászoni prædictarum personarum, imò (insciis illis) regni Statuum

nomine, contrariam non destitit promovere causam.

SECTIO XXIV.

IMportunissimè interea Principem Apasium (nec sine minis) ad fortalitia præsidiis Germanicis munita obsidenda urget Kucsuk Memhet Passa, Ali Passa quoque nomine Imperatoris sui idem se verè imperat, quibus inopiam (tempore hyemali) pabuli causatus, antequam herbæ in campis proveniant, bellum minimè posse gerere respondit, dilatoque per hanc moram negotio, resolutio interim suæ Majestatis magnâ cum spe expectatur.

In hybernaq; inter Saxones exercitus Turcicus distributus, Princeps Apasius cum Kuçsuk Memhet Passa, in oppido Nagy Sink (quod unico Fogarasino distat milliari) subsistit.

Gregorius interea Betlenius, ac Joannes Szentpáli, qui hactenus arci Fogaras præfuerant, traditâ Principi Apasio

ſio arce, ad obſequium ejus firmiſſimo ſe obſtringunt juramento; Germanicum præſidium ſalvum in Hungariam dimiſſum, quibus Commiſſarii dicti duo proceres à Principe dati, ipſi tam longæ (quâ de causâ ſit) conſcii moræ, nondum ad obſequium Principis, cui juraverant, rediêre.

Franciſcus Kereſztеſi, Conſiliarius, qui arci Dévenſi præerat, traditâ ſimiliter arce, ad Principem Apafium ſe confert. Lacrymoſæ eæque continuæ, per totam hyemem ruſticorum, nobiliumque in viciniâ Claudiopolis degentium, qui excurrentibus indeſinenter præſidiariis, omnibus ſe per eos exutos bonis deflebant, non deerant querelæ.

Cui malo placidis regni Status volentes mederi modis, Commendantem Claudiopolitanum, ut ab excurſionibus ſuos contineat, per literas modeſtiſſimis rogant verbis: Eum ac ſuos, nec Sacratiſſimâ Imperatoriâ Majeſtate jubente, nec requirenti-

bus Statibus ipſis, ſed per Principem ſaltem Keményium, in civitatem prædictam collocatos, quo è vivis ſublato, nullam ipſis illic ulteriùs moram trahendi impoſitam eſſe neceſſitatem, aſſerentes, amicabiliter quapropter tutum ac honeſtum illi offerentes egreſſum, ne potentiſſimâ Turcarum natione jubente, quod ipſiſmet maximè diſpliceret, id tandem facere cogerentur.

Verùm ille, (cui nomen David à Redano) ſeu fidelitatem erga ſuam Majeſtatem, ſeu illud ſummum militiæ genus putans, immodeſtiſſimis, ac nunquam per quempiam mortalium contra regnum Tranſylvaniæ (in quacunq; fortunâ) prolatis reſpondet verbis, quod ut lectorem minus lateat, verbotenus inſerere placuit.

Spectabiles, Magnifici, Generoſi, Egregii & Nobiles, Prudentes item & Circumſpecti Domini mihi obſervandiſſimi.

Quam-

QVamvis literæ, quæ 26. Febr. nec consuetis regni sigillis sint firmatæ, nec ordinariâ trium Statuum unione corroboratæ, tamen prout mihi licitum est, debito cum respectu juxta Magnificentiarum vestrarum merita respondere non prætermitto: Transeant interim pacta & vincula unionis cum Sacratissimo Cæsare stipulatæ, ad quæ per instantissimas totius regni supplicationes Clementissimus Imperator permotus, quantum pro Celsissimo Principe auxiliando impenderit, quantaque ejus exercitus sustulerit, in interno Magnificentiarum vestrarum corde non latebit, si tamen justis desideriis felices non successerunt eventus, causis ab Augustissimi Cæsaris bonâ mente longè remotis tribuendum. Execrandum enim proditionis scelus in ultimâ belli expeditione omnibus satis innotescit, quod quamvis ego silentio obtegam, tamen delusæ patriæ spes, proditi Principis exitium, derelicta Christianitas in æ-

ternum universo orbi testabuntur, interdum si pejora mala miserando huic regno superstiterint, sibi ipsis justè imputandum; vi enim non coacti, ut demonstrant, sed vel vili timore, vel pravo naturæ instinctu impulsi, propria suorumque confederatorum damna perquirunt; Quod præsidium huic urbi impositum, non tantùm Celsissimus Princeps Joannes Kemény, sed sufficientes regni magnates, quomodo, quibusque conditionibus (nempe juxta Zighzianas) pro victu factum sit non ignorant. Sed quod meum tantùm particulare spectat juramentum, unà cum meis Celsissimo Principi præstiti, in cujus fidelitate constans, neç minis perterresiam, nec ullo pacto retrocedam, consultant quos debent consulere Magnifici Domini, mei enim Principales non procul absunt, interim neç ruinam, nec desolationem hujus districtûs exopto, dummodò obligatum proviantum præsidiariis non impediatur, imò ordinatè

alimen-

alimenta, de quibus hinc tria seu quatuor milliaria distantes pagi & vici satis abundant, subministrarentur, præcipuè dum justæ exponuntur petitiones, sic excursiones removebuntur, quæ nonnisi necessariæ præsenti tempore permittuntur, nec usque adhuc apparuit quòd aliena bona retinerentur, & si aliquid sub sigillo occlusum est, urgente absque necessitate non appropriabitur, quam tamen Deo favente non tam citò spero adfuturam. Quòd deinde homines Christianæ gentis obnoxii, gentilisque populi fautores castigentur, durum nulli unquam fore arbitrarer, imò tales aliquando impunitos non relinquo, ne justitiam credant semper dormituram. Sed quàm maligna illorum dolenda cæcitas, quorum Christianos paganis non pudeat æquiparare. Adducant illi à Germanis conculcatos nobilium ordines, trucidatam, seu in æternum captivatam regni plebem, exustam provinciam. O miseram amicorum conditionem!

quibus summâ adjudicatur barbarie, tritico, farinâ, bove, ultimâ stipulatis penuriâ, iis uti, quæ tantùm natura ad vitam sustentandam decrevit, dum paganis minimo ipsorum nutu ad illorum adimplenda expostulata abundè satis consulatur: Civium opes & substantias ex urbibus extorqueat Turca, filios vestros perpetuo vinctos compede in exteras regiones extrahant barbari, incendiis, rapinis, captivitatibus, domos, templa, regnum depopuletur Scytha, quòd ab hujuscemodi facinoribus profectò abhorret Christianus, nec talia Christianam mentem usque adeò cogitasse compertum est: Non ergo in talia horrenda mendacia inconsideratè præcipitandum. Verùm hoc tantum, inauditum, detestandum, inhumanumque invenio, ullâ sine causâ nostros amicos, vel qui saltem deberent esse, severis ordinationibus indicere, jubere, cogere, ut milites pro bono tantùm totius Christianitatis in hoc regnum immissos, profligent, captivent,

ptivent, atq; ad illorum ultimam perniciem pervigilent; sed ad damna nostra consurgite! beneficii immemores, Christiana auxilia à vestris Magnificentiis ardentissimè expostulata, delege agite! sic enim alia, in aliis vestris necessitatibus, vobisipsis auxilia comparabitis; Sic enim augustissimum Imperatorem præmissa expeditione, Fogarasinum & alia ab inimici communis aggressione conservata fortalitia remuneramini. Profectò non ampliùs clamoribus vestris aperientur aures, surdaque Christianitas justis vestris imposterum consolabitur punitionibus. Talia igitur Magnificos Dominos obtestor ut meditentur, medeantur, jugumque huic regno imponendum ab infidelibus generosè excutiant, pusillanimo timore exuto rectam imbuant voluntatem, cui innixi, simul unanimes & constantes ad libertatem patriæ, ad bonum regni, ad Christianitatis augmentum contendant, diuque valeant. Claudiop. 9. Martii, 1662.

Spectabilium, Magnificarum, Generosarum, Egregiarum ac Nobilium; Prudentum item & Circumspectarum Dominationum vestrarum, ad officia paratus. A Rejdan.

Movêre hæc Status regni, per eosdemque rescriptum ipsi in hæc verba.

SECTIO XXV.

Magnifice Domine nobis observandissime,

Modestissimis nostris literis, non pridem vestræ Magnificentiæ transmissis, sperabamus communi consultũ fore utriusque partis quieti, verùm literis vestræ Magnificentiæ sub dato 9. Martii scriptis, ad nos perlatis, præter omne meritum & expectationem nostram, immeritas exprobrationes, virisque vel mediocribus indignas dehonestationes experimur; Diu quocirca inter nos fuit consultatum, utrũ modestiæ litando nihil respondere, aut immeritas sugillationes, justis conducibiliùs sit refellere responsis, tandem prævidentes, nihil respõdẽdo assensum videbimur cõtra

nos

nos objectis prabere enormitatibus, posterius sequi placuit. Sacratissima Imperatoria Majestas, absit ut per nos dicto vel facto unquam læsa sit, aut lædatur, cujus clementissimam in promovendis nostris rebus opem nunc quoq; iteratis exoramus legationibus. Execrandum in ultimâ belli expeditione proditionis scelus, quibusnam objiciat ipse novit, cui pugnæ (aut veriùs fugæ) pauci nostrûm interfuerunt, si verò proditione illa clades est illata, procul dubio officiales, qui exercitui praerant, nec alius quispiam, id patrare potuerunt, cum in potestate eorum (non aliorum) erat, tam regere sibi parentes, quàm cum iisdem pro fidelitate domini sui fortiter pugnam capessere. Quis quæso vetuit eos viriliter rem gerere? Quis è manibus pugnantium excussit arma? Nos longè aliter in his omnibus sentimus, à paucioribus, nec validioribus, dum tot viros fortes fusos audivimus, occultissima Dei judicia cum tremore intuemur. Nisi enim panico fermè omnes timore perculsi, incruentam hosti reliquis-

sent victoriam, se impares fuisse, fatentur ipsi victores: Pejora præteritis, fatemur, metuimus, non minimã iis præbente occasionem, præsentiâ, excursionibusq; vestrarũ Magnificentiarum è civitate tam debili, & facile peritura. Juramentum (quo Celsissimo Principi jam defuncto se obstrictum prætendit) quo pacto post decessum ejus, nisi in eo ubi est seculo continuare possit nõ videmus. Dum vestra Magnificentia prolixè exaggerat, multa millia nostrorum per potentissimam Turcarum nationem in captivitatem asserta, nec tale quidpiam per dominos Germanos patratum, bonâ pace vestræ Magnificæ dominationis verum dicere liceat, hoc ipsum nos quoq; gementes querimur; Certum est, potiorem regnicolarum partem in captivitatem esse abductam, nec vestris Magnificentiis, nec alio quopiam, ipsis, ac nobis opem ferre volente: nec potest quispiam inficiari, id solùm potentissimæ nationi in hoc regno non licuisse, quod non libuit; Lubet audire, quo pacto, vel saltem exercitui Turcico nunc in visceribus regni hærenti vestræ Magnifi-

centiæ pares se præsumant, nedum numerosissimo Ali Passæ exercitui, in confiniis regni erectis oculis rebus Transylvanicis invigilanti, quomodo eos proditores accusatis, qui à vobis minimè defensi, in faucibusq; potentissimæ nationis relicti, incendia, ac devastationes patriæ nostræ prius sustinuimus, ac tandẽ inevitabili nosmet submisimus jugo? Nec inficiamur, quod inter tot ruinas reliquum nobis fortunæ fecerat, ab iis qui nobis (etiam si maximè velint) opitulari minimè possunt, consumi ægrè ferimus; Quæ omnia cum in prioribus nostris literis modestissimè ac verissimè scripta sint, mendacii propterea impudenter arguere, perfrictæ est frontis. Verius nos exclamare possumus. O miseram amicorum conditionem! Quippe dum tam incolumitati vestrarum Magnificentiarum, quàm saluti civitatis, imo totius regni consulere volumus, tam inhumaniter tractamur. Si ab iis, qui barbari audiunt, tam inhonestas accepissemus literas, non miraremur, sed è natione benè moratâ, ac cultissimâ extitisse quem-

piã, qui tam procaciter abutatur stilo, non immeritò stupore dignum. Monemur per vestram Magnificentiam, ut excutiamus jugum, cujus quæsumus ope? omnibus Christianorum conatibus occulto Dei judicio in fumum abeuntibus; Nobis, nisi perire malimus, præsenti imperio parendum est. Sed verbis ulteriùs digladiari nolentes, denuò vestram Magnificentiam (si tamen salutare consilium obstinato præbere fas est) amicabiliter monemus, cedat urbe tam debili, ne provocet ad proprium, & ejus exitium potentissimam nationem, quæ si obsidionem ejus inchoaverit, minimè in eo quid agat, à nobis sibi præscribi patietur; Testamur Deum, exitio vestrarum Magnificentiarum non inhiamus, imò liberum, honestum, & securum passum procuraturi sumus, sin minùs, ut ad oblatas, ac contemptas, nunc conditiones, tunc recursura erit vestra Magnificentia, dum nec nostrum erit dare, nec ejus accipere, prævidemus. De cætero eidem prosperam valetudinem precamur. Datum in Generalibus nostris Comitiis, &c.

SECTIO XXVI.

NOndum Stephanus Daniel redierat Viennâ, dum Simonis Keményii, fato functi Principis filii, Claudiopolim, Szamosujvárinum, ac in arcem Betlenianam directæ literæ intercipiuntur, in quibus ad præfixum ab ipso diem (de rebus communem, ut asserebat, regni utilitatem spectantibus) tractaturi; Aranyas Medgyesinum in Hungariam evocantur Status ac proceres regni, quorum quicunq; in personâ interesse non poterunt, ut per literas proprio sigillo munitas se sistant, admonentur, Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Franciscum Szent-Györgyinum, electum Episcopum Vácíensem, ac Præpositum Posoniensem, Consiliarium & Legatum suæ Majestatis affuturum; Cujus quo major scriptis fides in Transylvaniâ adhiberetur, paria literarum Patris Martini Kászoniensis, qui de his omnibus

bus per literas Vienniâ ipſum informârat; tranſmiſſa, quarum continentia hæc erat.

Illuſtriſſime Domine: Deus veſtram Illuſtriſſimam Dominationem, eoſq; qui Deum & Chriſtianitatem venerantur, Spiritu ſuo ſoletur, ad felicioraque traducat tempora.

Trinas poſt deceſſum deſideratisſimi mei Domini, accepi veſtræ Magnificentiæ literas, emori quidem non erat in poteſtate meâ ſitum, qualiter tamen res affecêre, præſentes veſtræ Magnificentiæ ſervi teſtificari poſſunt; Charisſimi mei Domini dilectisſimæ proli quacunq; in re potero, me fidelisſimè ſerviturum ſemet aſſecuret, rogo, nec me ingratum, aut inconſtantem quiſquam deprehendet. Quantum verò negotium præſens ſpectat, primis veſtræ Magnificæ Dominationis literis acceptis, de non educendis ſine ſecuritate veſtrarum Magnificentiarum, quin potiùs augendis in Tranſylvaniâ præſidiis, ſuæ Maieſtati interceſſi, ſimul & obtinui. Certè

non

non educentur, quinimò augebuntur. Res Husztienses non sunt ægrè ferendæ, quicũq; Christianitati adhærebunt, damno ibi minimè afficientur. Qui verò ad Turcas desciverunt, de bonis eorum providendũ est. Sacratissima Imperatoria Majestas vestram Magnificentiam, cum eodemq; consentientes benignitate prosequitur. Solennem ad eandem nunc expedit legationem, Illustrissimum nempe Dominum Franciscum Szent-Györgyium Episcopũ Vácienſem, ea quidem authoritate, ut rectà Aranyas Medgyesinum eat, ibidemq; (aut in alio, si placuerit, loco) cum vestrâ Magnificentiâ, Christianitatique adhærentibus fratribꝰ, de eo, quisnã in Principẽ Trãsylvaniæ eligatur, tractet, imò electio in præsẽtiâ ipsius effectuetur, qui vestigiis inæstimabili nostro damno defũcti Principis insistere, tractatusq; hactenus conclusos continuare valeat, eligendus est; Electio in toto ad arbitrium vestrarũ Magnificentiarum rejecta est; Liberam Principes eligendi facultatem sua Majestas regno eri-

eripere non vult; Ut recens eligendus Princeps, vestigiis defuncti desideratissimi Principis in omnibus inhæreat, hoc unicum requiritur. Homagium fidelitatis sua Majestas à Principe novo, asseclisq; ejus exiget, qua in re, aliisq; honestis conditionibus, refragari non congruit, quoniam postulata suæ Majestatis certe sunt æquissima. Ex legato hæc omnia manifestiùs intelligere poterit.

Vestræ quoq; Magnificentiæ in bonâ formâ assecuratione per legatum à suâ Majestate obtineant, requiritur hoc unicum, ut Princeps eligendus vestigiis defuncti insistat. Legato suæ Majestatis, omnia ex assensu vestræ Magnificentiæ, & sibi adjunctorum facere demandatum est.

Quoscunq; itaq; Medgyesinum convocare poterit, nõ prætermittat, qui personaliter interesse non poterunt, per literas sigillis munitas se sistant, (verbo) animos hominũ in electione bene disponere nitatur. Expensa præsenti in negotio non est curanda. Quem Transylvanorum adiit tam solennis suæ Majestatis legatio? hoc est exem-

plum primum; Res exigit, ut præstet se virum; Vestram Magnificentiam obtestor per Deum, simili, ac Imperatorem ipsum, honore afficiat legatum suæ Majestatis, ejusq; homines. Literas hasce in paribus communicet cum fratribus, animet & assecuret eosdem. Arcem Devam manutenere studeamus. Re cum Domino Stephano Petkio communicatâ ad se eum accersat. Similiter Dominos Dionysium Bánfi, Stephanumq; Ebenium. Ex literis suæ Majestatis pleniorem poterit habere rerũ informationem, quas (si voluerit) per varia parta evulget in Transylvaniâ, uno intercepto ne res occultari possit. Arestatus cum Turcâ Apafii nuncius, ne audientiam à suâ Majestate habeat, unanimiter conclusimus. Per Comitem tamen à Lobkovicz verbotenus, aut in scriptis, resolutionem hanc habiturus est. 1. Apafium sua Majestas, tanquam contra constitutiones regni per Turcas Transylvaniæ impositum Principem, non agnoscit. 2. Quoniam licet metu armorum Turcicorum per nonnullos fuerit electus, ac-

ceptatio tamen veriùs quàm electio dici potest. 3. Quia magnã Transylvaniæ partem Turcis se daturum promisit, imò annuendo etiamnum donavit. 4. Quia contra suam Majestatem arma se moturum, saltem Turca ipsi patrocinetur, spopondit. Monet quocirca eundem sua Majestas, ab incepto desistat, alioquin mavult omnium ditionum jacturam facere, quàm hæc & similia pati, quoniam brevi non Christianum, sed Turcam Transylvaniæ præfuturum, acta Apafii testificentur. Summa summarum. In rebus præmissis, ingenia hominum disponat. Balthasarẽ Matskásium, & Franciscum Jeneium cum Legato suæ Majestatis expedivi, quos præmittere, per eosq́ de rebus necessariis vestram Magnificentiam informare poterit. Archiepiscopum Strigoniensem, Franciscum Nádasdium, totamq́ suæ Majestatis aulam, simili ac erga piæ memoriæ defũctũ Principem amore affici sciat. Archiepiscopus præ cæteris totus est pater vestræ Magnificentiæ. Ego hic Viennæ subsistam; Præstolor adventum domini Volfgangi

gi Betlenii; in rebus parvi momenti proprium ne fatiget hominem, Comes à Vallis, literas per Postas transmittere poterit: Per Samsondium omnia nunciavi, cui indubitata adhibeatur fides. Somnum excutiat ex oculis oportet, de securitate tam privatâ quam publicâ cum Legato cõcludat; Singulis hebdomadis de progressu rerum me certificet, quod scire multum interest. In electione hac observet; Ipse cum fratribus Principem eligat, sua Majestas confirmatura est. Itaq; ante adventum legati, cõvocandi essent fratres, concludendumq; de eligendo Principe, quo superveniente coctus saltem cibus apponendus esset mensa, non solùm fideles sunt solicitandi, verùm qui ad Turcas desciverunt, ii etiam ut ad fidelitatem redeant, monendi sunt. Calamum ingeniumq; meum multa excedunt, faciat secundum prudentiam suam. De adventu legati sua Majestatis, præsidiarios, officialesque eorum, signanter autem Devaenses certificet. Obtestor per Deum vestram Magnificentiam, cum le-

gato tanquam viro pio, & ſincero, ſincerè agat, ſincerè enim eſſe expeditum à ſuâ Majeſtate, credat. Deus adſit eidem. Viennæ 28. Febr. An. 1662. Veſtræ Magnificentiæ humilimus ſervus & Sacerdos, Martinus Káſzoni.

SECTIO XXVII.

PErlectæ in Comitiis interceptæ cum paribus literæ, in ſpem denuò erexêre moderni Principis æmulos, qui tamen vel in ſtatu privato, perilluſtri ac antiquiſſimâ magnatum familiâ ortus, meritò ipſis præferri poterat. Stephanus Petkius, qui Principe Keményio poſtremum in Tranſylvaniam ingreſſum moliente, non ſatis ſanus, in arce Huſztienſi remanſerat, ut Comitiis ab ipſo (ut ſperabat) Aranyas Medgyeſini celebrandis intereſſet, ſolicitatus à Simone Keményio, ſed ille provectæ jam ætatis, nullo intentionem eorum fundamento niti perſpiciens, puerilibus rebus immiſceri erubuit, paucoſque poſt dies Tranſylvaniam

niam ingressus Principi Apafio reconciliatur.

Adfuit ad præfixum dictus suæ Majestatis legatus Franciscus Szent-Györgyius diem, honestissimeq; à Principissâ viduâ, Simone Kemény, ac tribus adolescentulis Transylvanis excipitur, nec per literas (præter eos qui Betlenianâ ac Szamosujvárino arcibus se incluserant) quenquam Transylvanorum præsentem cernit, quod a promissis patris Martini Kászoni, qui universos regni Status, ac proceres, in alio Principe eligendo consensuros spoponderat, longè diversum erat; Destitutus iis, quibuscum de electione alterius Principis tractandum erat, occultò priùs (ob idq; ignoto) cum Simone Keményio colloquio habito, Husztinum, ad Comites Franciscum & Ladislaum Redei se confert, *ibi* (vir facundus) *de propenso erga Transylvaniam, signanter autem præfatos Comites suæ Majestatis animo multa præfa-*

tus, tandem (ejus quasi nomine) alterutri eorum principatum Transylvaniæ, (nullis tamen Credentionalibus exhibitis literis) offert, qui pro verbis, honestissima dantes verba, non indonatum dimisêre. Unde Szakmarinum regressus, complures illic moratur septimanas.

Iterata iterum incipiente vere ad Principem Apafium, ac regni Status, de fortalitiis suæ Majestatis præsidiis munitis, obsidendis expugnandisque ab Ali Passâ supervenère mandata, in quibus (nisi dicto audientes essent) manifestam cum Sacratissimâ Imperatoriâ Majestate collusionem se deprehendere scribit.

Terruêre hæc Principem ac regnicolas, longioremque dilationem exitiosam rati, unà cum Kucsuk Memhet Passâ; Szamosujvárinum versus adeò lentissimo ducunt exercitum, eumque tormentis minimè instructum passu, ut duodecim milliaria viginti conficerent

diebus,

diebus, resolutionē interea benignam suæ Majestatis, per Stephanum Daniel superventuram, magnâ spe præstolantes, illucque tandem appellentes, quadrante ab arce Szamosujvár milliari juxta pagum (Mikola dictum) locavêre castra, quo post diuturnam expectationem, dictus Stephanus Daniel, hanc suæ Majestatis reportavit scriptotenus resolutionem.

SAcratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis Domini Domini nostri Clementissimi nomine, Egregio Stephano Daniel præsentibus significandum: Prælibatam suam Majestatem, singula per ipsum proposita clementer intellexisse, nil itaque magis in votis habuisse, quàm ut Transylvaniæ, ac in ea Christianitati, in perturbato hoc, & afflicto rerum statu, quàm optimè consuleretur, ac subveniretur, quemadmodum in futurum etiam eam daturum esse operam, ut pro paterno suo, quo in dictam Transylvaniam, & in eâ Chri-

ſtianitatem ſincero fertur zelo & affe-ctu, conſervationi ejusdem (quo in priſtino ſtatu vivere, privilegiis & immunitatibus ſuis inperturbatè frui poſſit) omnibus opportunioribus mediis, ubicunque neceſſitas poſtulaverit, clementer proſpicere valeat.

Quantum porrò ad fortalitia, in præmemoratâ Tranſylvaniâ præſidiis Germanicis munita attinet, ſiquidem non minùs eorundem, quam univerſæ Chriſtianitatis conſervationi tantum momenti interſit, ſuam Majeſtatem eadem per hoc ſibi minimè vendicare, quin præmiſſum duntaxat in finem ſecuritatis conſervare, ceſſantibusq; periculis inde dicta ſua præſidia educi facere velle. De reliquo eidem Stephano Daniel ſæpefata ſuâ Majeſtate gratiâ & benignitate ſuâ Cæſareâ Regiaq; Majeſtate clementer propensâ manente. Per Sacratiſſimam Cæſaream Regiamque Majeſtatem. Viennæ die 15. Menſ. Aprilis, An. 1662. Steph. Orban.

Quæ

Quæ ſuæ Majeſtatis reſolutio, conditionalis quamvis, valdeque circumſcriptiva videretur, nihilominus iteratâ legatione, expoſitis in rei veritate regni difficultatibus, uberiorem Status regni ſuæ Majeſtatis benignitatem obtenturos ſe rati, acquievêre.

Kucsuk Paſſa tormentorum interea, non ſine minis, urget advectioně, quo jubente, ne nihil feciſſe Status viderentur, poſt trium ſeptimanarum moram, duo Gôrgényino advexêre tormenta.

Obſidionem præterea contra arcem Szamoſujvárienſem, quæ centum triginta ſeptem (non ampliùs) Germanorum, paucorumque Hungarorum peditum præſidio erat munita, molientem, munitiſſimam, inſtructiſſimamque aſſerendo arcem, eluſêre; Ut Claudiopolim potiùs, in quo firmius erat præſidium, obſideret ſuadentes, qui perſuaſus, nec formali obſidione, nec repentino cum univerſis copiis inſultu eâ tentatâ, velitatione etiam (e-

rumpentibus ad abigenda pecora ex arce præſidiariis, Turciſque recuperare volentibus) unicâ ſaltem inſtitutâ cum Principe Apaſio, Claudiopolim verſus motis illinc caſtris, quatuor diebus confecto tam brevi itinere, inter Claudiopolim oppidumque Szamoſfalva locat caſtra.

Quo paucos poſt dies, literas ad regni Status, Principemq; Apafium Ali Paſſa mittit; *Ut ſufficienti tormentorum apparatu Claudiopolim oppugnent, ſimul & expugnent, imperat; alioquin ſemet cum univerſis ingreſſurum copiis, expugnataque dictâ urbe, nunquam Hungaris redditurum jurat.*

Nec Kucsuk Memhet Paſſa inhoneſtis (tanquam barbarus, inter eoſq; beſtia veriùs quàm homo) verbis, rem urgere deſinit; Adducta quocirca Fogaraſino tria majora, duoque minora tormenta, cum apparatu mediocri; Quæ præ manibus habens dictus barbarus, obſidendarum prorſus ignarus urbium,

urbium, alieni autem consilii temerarius contemptor, Claudiopolis instituit obsidionem: *Locatis in specificato loco castris, Valachis verò inter oppidum Fenes ac civitatem ab occasu solis residere jussis, ipse cum nonnullis suorum prius circumspiciens urbem, juxta hortum ubi plerique sepeliri consuevêre, à meridie situm, erecto aggere, duobusq; collocatis tormentis, non murum, sed ædificia domorum, nullo cum præsidii damno quatere incipit.*

Quarto rursus die, è regione propugnaculi (sartorum dicti) quo firmius civitas non habet, altero erecto aggere, tormentisque reliquis illuc collocatis, murum dicto propugnaculo conjunctum quatit, plures tamen undiquaque in civitatem, quàm contra murum faciens explosiones, quippe qui Principis Apafii tormentorum magistris rejectis, suisque ejus artis prorsus ignaris substitutis, custodiaque tormentorum Janizaris commissa, solo tormentorum boatu

Claudiopolim se obtenturum crederet, quibus tormenta sine artificio implentibus, simul & explodentibus totam plerumq; civitatem globi prętervolabant, tormenta quoque plus justo onerata rumpi, inutiliaque reddi necesse erat.

Deliramenta hæc præsidio simul & Hungaris meritò videbantur; Verùm ad requirendam denuò per literas ac legatũ suã Majestatem tempus hac occasione ipsis subministrari, lætabantur.

Commendans interea Claudiopolitanus David à Redano, nullas (ubi murus quatiebatur) extrinsecus facit munitiones, sed tanquam occupato, aut confestim occupando muro, transversas in urbe fossas, aliaque in extremitatibus rerum à recentioribus excogitata erigit.

SECTIO XXVIII.

MEmorabilis præterea sub eadem obsidione contigit casus; A Christianismo ad suam hæresim quampluri-

plurimos pellecturus Kucsuk Memhet Paſſa, producto vexillo, quicunque Chriſtianorum ſub auſpiciis ſuis potentiſſimo Imperatori militare voluerint, quinq; ſingulis menſibus, præter gratuitum commeatum, iis imperiales, ſe perſoluturum promittit.

Inventique intra paucos dies tranſfugæ triginta octo, qui magnâ à Turcis cum ſolennitate orco initiati, ex ipſiſmet præpoſito eorum Capitaneo, infra aggerem, ubi tormenta locata erant, in foſsâ quadam recens verſus urbem promotâ locati.

Ignari horum præſidiarii (divino procul dubio impulſi zelo) eruptionem contra tormenta moliuntur, quibus propoſito ſuo potiri ſtudentibus, prædictam transfugarum cohortem prætergredi neceſſe erat, eoſque tanquam in altâ pace ſopitos nacti, Capitaneo cum viginti ſeptem ſociis tranſfugis occiſo, vexilloque ipſorum rapto, feliciſſimè, faciliteque, ante-

quam ſubveniri poſſet, in urbem rediêre.

Juſta & præpropera ultio divina. Nullus præter transfugas eo die cæſus. Exhilarati incruentâ victoriâ præſidiarii, alteram paucos poſt dies majori cum apparatu tentant eruptionem, claviſque ferreis, quibus tormentorum foramina obſtrui poſſint, ſingillatim equitibus diſtributis, plus juſto poti tormenta verſus audaciſſimè prorumpunt, ſed infeliciori exitu. Intenſiſſimæ enim à Kucsuk Memhet Paſsâ diſpoſitæ erant excubiæ, ipſe toto exercitu equos frenatos habere juſſo, cum primoribus ſuorum Baccho libabat, perlato itaq; ad eum eruptionis rumore, primus ipſe equum inſiliens, adeò vehementi in excurrentes provectus eſt impetu, ut Capitaneo cum nonnullis cæſo, diſſipataque totâ Germanorum cohorte, mixti cum iis Turçæ gladiis rem gererent, fugâ itaque verſus urbem, (ubi extra portulam Muſquetarii

pedi-

pedites in ſubſidium locati erant) ſibi conſuluêre, exploſiſque dicti pedites ſclopetis, nitebantur equitatum eripere periculo, ſed Turcæ iis mixti, contemptâ ſclopetorum procellâ acerrimè inſiſtentes, eos quoque in fugam compulêre, quibus niſi propinquitas urbis ſaluti fuiſſet, de omnibus actum erat.

Sequenti die Commendans urbis ſepulturam cadaverum, ſignanter officialis demortui, qui illuſtri erat ortus familiâ, per literas à Principe Apafio petit, à quo tanquam in re Chriſtiano non denegandâ facilè fuiſſet aſſenſum; Verùm Kucsuk Paſſa (per quem res erat geſta) minimè vel in re exili ſibi præſcribi permittens, renuit, *Commendantique, ut ſe virum præſtet, armisque ſuorum recuperet cadavera, nunciat.* Inſpectanteque, ſed prodire non auſo præſidio, cadavera in caſtra tranſportata, ante tentorium proprium relinqui jubet, ubi triduo jacuêre inſepulta, fœteſcentiaque ex permiſ-

ſione ipſius per Hungaros humata.

Phrænetizante veriùs, quàm obſidionem continuante, per complures ſeptimanas Kucsuk Memhet Paſsâ, dum ſatis magnam pulveris copiam imprudenter abligurivíſſet, Principe inopiam ejus prætendente, nec ampliùs adminiſtrare volente, tormenta inſuper plus juſto per ſuos (arcis ejus ignaros) onerata, vitium feciſſent, ex prædictis aggeribus in caſtra reductis iis, novum denuò à Septentrionali urbis parte erigit aggerem, exilibuſque duobus tormentis, quæ non magnam requirebant pulveris copiam, illuc translatis, contra molendinum ac portam exploſiones faciendo, plus quàm in totâ hactenus præſtiterat obſidione, peperit obſeſſis negotii.

Dionyſius Bánfi, quem ex fugâ in arcem Betlenianam ſe recepiſſe, adjunctiſque nonnullis, adverſatum hactenus Principi Apafio ſcripſimus; Iteratas ineunte vere nonnullis cognatorum

rum ſuorum, qui in caſtris erant ſcribens literas, *ſi dictum Principem coram alloquendi ſibi facultas daretur, donataque per Principem Keményium ipſi bona poſſidere liceat, non alienum à concordiâ animum ſuum aperit*, eo Princeps Apafius, mitis ac pacis amans, intellecto, facilè annuit, qui ingreſſus caſtra, *prolixis* (*ut erat facundus*) *quàm ſincero erga dictum Principem ducatur affectus, verbis exaggerat, in menſa tandem Principis incaleſcens mero, eos, qui juſſu dicti Principis ipſius literas, quas iis qui contrariam ſequuti erant factionem ſcriptitaverat, intercepêre, immodeſtis afficit convitiis, pluraque prolocutus, cum nonnullis proceribus, qui Principi Apafio ſerviebant, in eodem ſe nunquam victurum regno jurat*; Unde ſuperiorem, imò ne parem quidem eum in Tranſylvaniâ velle pati, manifeſtè aperuit. Quamvis nec ætate, nec opibus, nec rerum geſtarum claritudine pleriſque præferendus

dus esset. Patienter tamen hæc omnia audita à Principe Apafio, incolumemque in arcem Betlenianam, unde exierat, remittit, qui per complures septimanas illinc Simoni Keményio missitans literas, rebus non pro voto fluentibus, tandem ipsemet ad eum Aranyas Medgyesinum (ubi apud novercam residebat) proficiscitur.

Interea Illustrissimus dominus Franciscus Szent-Gyôrgyinus Episcopus Váciensis, post longam, quam Szakmárini transegerat moram, literas ad Principem Apafium mittens, *calamitates Transylvaniæ (propriæ suæ patriæ) deflet, ipsius ac Kucsuk Passæ salvi passûs literis, ad eum priùs missis, Transylvaniam se ingressurum offert.*

Quem in rebus ad communem pacem pertinentibus aliquid magni momenti moliri imaginans dictus Princeps Apafius, optatas salvi passûs literas mittit; Verùm dum nonnullas in iis difficultates prætenderet, non sincerè rem

rè rem ab eo agi ſuſpicio orta.

Quòd juſſu aut nomine Sacræ Imperatoriæ Majeſtatis quicquam tractaturus eſſet, nullam faciens mentionem, tanquam privata perſona ad rem tanti momenti, quæ controvertebatur, definiendam vix idoneus judicatus, nil itaq; ipſi reſcriptum.

SECTIO XXIX.

ALiæ ſub eadem obſidione Claudiopolitanâ tam ad Principem, quàm Status regni ab Ali Paſsâ mittuntur literæ, *in quibus quòd hactenus dictam urbem non expugnaverint, negligentiæ ſimul & contumaciæ eos arguit, niſi ad certum, ſive pactis, ſive armis eam recipiant diem, ingreſſurum, occupaturumq; Si verò abſq; ipſius ingreſſu, ſine auxiliaribus Turcarum copiis expugnari, ſive deditione capi poſſit, Tranſylvanis minimè adempturum, per omnipotentem Deum jurat.*

Comitia quocirca Statibus Regni, de re

de re tanti momenti deliberaturis in iisdem castris celebranda indicuntur, ubi Sacratissimam Imperatoriam Majestatem, rebus genuinè expositis, de educendo pręsidio Claudiopolitano literis humilimè per Generosum Petrum Fekete, ablegatum requirendam decrevêre, quarum continentia hæc erat.

Sacratissima Imperatoria Majestas, Domine nobis çlementissime, benignissime.

Testata toties erga nos afflictissimos vestræ Majestatis paterna benignitas erigit immeritos, ut humilimis hisce nostris supplicationibus thronum ejusdem demississimè adire, luctuosumq; nostrum statum aperire non vereamur; Quanta anno proximè præterito (dum vestræ Sacratissimæ Majestatis pientissimos conatus occulto peccatis nostris ita promerentibus, Dei judicio, nonnullæ difficultates irritos reddiderunt) sustinuimus à potentissimâ natione mala, fatemur, excedit calamum nostrum, hoc unicum notificare sufficiat.

Cen-

Centum ad minimùm hominum millia nos amisisse, potioremq; totius regni partem in favillas esse redactam, testamur bonâ fide; Tot malorum pauci superstites coacti sumus inevitabili nosmet submittere jugo. Sed utinam hic fuisset malorum finis! Necdum ultio divina afflictionibus nostris finem imponit, ante proximè præteritos enim menses, extraordinario vicissitudinum humanarum exemplo, profligato cum exercitu Illustrissimo Principe, Domino Joanne Keményio, cæsoq; confestim imperatum nobis, ut victori potentissimæ nationis exercitui nosmet adjungentes, victoriam prosequamur, fortalitiaque Transylvanica, vestræ Majestatis præsidiis munita, pactis vel armis recuperare non differamus, hic (tanquam alieno subjectis licuit jugo) Augustissimæ vestræ Majestatis paternam erga nos affectionem præ oculis habentes, eamque (ut par est) congruâ cum submissione venerantes, ne per nos, quamvis invitos offenderetur, præcavere studuimus, eoque sine internunciū, Generosum

rosum Stephanum Daniel, ad eandem cum humilimis literis ac precibus nostris expediveramus, quo opinione diutiùs reditum differente, non possumus non fateri, potentissimam nationem, nobis etiam adjunctis, civitatem Claudiopolim præsidio vestræ Majestatis munitam obsedisse, illibusque tormentorum petiisse, quod non facere, non erat in nostrâ potestate, vires nostras exercitu ejus longè exuperante, numerosissimo præterea Ali Passæ exercitu in confiniis existente.

Superveniente tandem cum clementissimâ vestræ Majestatis resolutione internuncio nostro, celeri cursu legatum ad Ali Passam Temesvarinum expedivimus, orantes, Passam cum exercitu nobis adjunctum educeret, placidisq; mediis rem totam componere in fulgidâ Ottomanorum Portâ niteretur, à quo hanc cathegoricam hodie accepimus resolutionem: Quamdiu fortalitia præsidiis vestræ Majestatis non evacuabuntur, exercitum minimè educet, imò ut de globulis ac pulvere pyrio, quibus fortalitia illa expugna-

ri possint, abundè prospiciamus, severè jubet, assecurat insuper, quòd si evacuatis præsidiis occupationem fortalitiorum istorum metuamus, literas juramentales, qualescunq; desideraverimus, dare paratū se esse, Ottomanicam nationem nunquam illa occupaturam, dummodo deditio eorum absq; Ali Passæ, exercitusq; cum eo nunc juxta Temesvarinum hærentis ingressu fiat; Se propediem Varadinum versus moturum, neque impedire velle, quin interea pactis vel armis fortalitia recuperemus, sin protrahatur negotium, se Varadino rectâ hâc unà cum illo belli apparatu quo Varadinū expugnârat moturū, jurareq; per Deum & caput potentissimi sui Imperatoris, quæcunq; fortalitia ipse expugnaverit, nostri juris ampliùs non futura. Hæc autem omnia ne pro fictis habeantur, ita Deum nobis propitium optamus, sicut in veritate rem totam sincerè vestræ Majestati transcribimus. Civitatem porrò Claudiopolitanam adeò naturâ esse invalidam, ut quamvis longo temporis intervallo, nullo labore congruè fortificari pos-

sit, qui eam viderunt ingenuè possunt testari; unde non abs re persuasissimum nobis est, eam ne tridui quidem tanti exercitûs oppugnationem sustinere posse, quæ si pereat, omnes nos periisse, Transylvaniamque simul & semel occupandam, pro certissimo habendum est: In tantis itaq; rerum nostrarum angustiis constituti, ad pedes vestræ Majestatis provoluti, suppliciter oramus, obtestamurque per misericordiam Christi, maturet ante ingressum Ali Passæ, præsidiis evacuatis, ex hoc extremo nos eripere periculo: longos tractatus, tot successibus elatæ nationis spiritus, afflictissimusq; noster status non patiuntur, in unicâ vestræ Majestatis maturâ benignaque resolutione (post Deum) vita & salus nostra pendet, quam summâ cum fiduciâ sperantes, cum propriæ desint serviendi vires, Deum pro incolumi ac longævâ Augustissimæ vestræ Majestatis vitâ suppliciter oramus. Datæ.

Missæ ad universos Hungariæ regni Status, ac Palatinum quoque, ut pro ipsis coram suâ Majestate intercede-

rent, per eundem literæ. Qui tandem reversus, hanc suæ Majestatis refert resolutionem

SAcratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis, Domini Domini nostri Clementissimi nomine, Generoso Petro Fekete præsentibus significandum. Prælibatam suam Majestatem literas principalium suorum accepisse, omniaque & singula in eisdem proposita clementer intellexisse, nil itaque hactenus magis in votis habuisse, quàm ut Transylvaniæ, ejusdemque avitarum libertatum assertioni ac tuitioni, regnorumque & ditionum suarum, atque adeò totius Christianitatis securitati & conservationi quàm optimè prospiceretur, neque aliâ intentione præsidia sua in fortalitia ibidem habita intromisisse, quàm ut cessantibus periculis, restitutaque tranquillitate ac libertate Transylvanorum, in pristinum statum reductâ, eadem inde educerentur, neve à Turcis quemadmodum hactenus Varadinum, & alia, cum summo totius Christianitatis periculo

riculo ac detrimento occuparentur & detinerentur. In cujus quidem eximii suæ Majestatis affectûs & animi, in conservationem eorundem intenti argumentū, annuentiam quoq; à Portâ Ottomanicâ habere, ut Generalis tractatus, & commissio per certos Commissarios, utrinq; cum sufficientibus plenipotentiis mittendos ac destinandos instituantur. Interea verò ab armis & hostilitatibus utrinque cessetur & abstineatur. Quare præstolandum omninò sua Majestas judicaret ab eventu dictæ ac institutæ cum prememoratâ Portâ commissionis, ac generalis tractatûs, neque particulares aliquos seorsim cum Passa Jeniensi instituendos, cum non constet, ipsum à prædictâ Portâ delegationem ejusmodi habere; Et in tali casu suam quoq; Majestatem ex parte hac certos suos Commissarios requisitis instructos mittendos fore decrevisse. Velint igitur ipsi etiam conatum suum eo dirigere, ut in tractatu illo Generali, de toties dictis fortalitiis agatur, neque medio tempore eadem oppugnentur aut impetantur. De reliquo

eadem suâ Majestate ipsi Petro Fekete gratiâ & benignitate suâ Cæsareâ & Regiâ clementer propensâ manente. Per Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem. Posonii 10. Junii, An. 1662. Stephanus Orban.

SECTIO XXX.

INhumanis interim quoslibet, imò ipsum Principem Apafium tractabat Kucsuk Memhet Passa verbis, rusticis præterea ingentem extorquebat per suos commeatum, cujus dimidium alendis suis suffecisset, nec his contentus, torquebantur, spoliabantur, omnibusq; exuebantur plerique bonis, fatigavêre hæc longam Principis Apafi patientiam, misso itaq; ad Ottomanicam portam expostulatum magnate quodam Joanne Daczo, sub pœnâ mortis ut se contineat, Kucsuk Passæ injunctum. Sub iisdem Comitiis, de relaxatione summæ regno impositæ, annuo tributo nuper aucto, ad anti-

quum reducendo modum, diſtinguendiſq; Tranſylvaniæ limitibus tractaturus Gabriel Haller Temeſvárinum ad Ali Paſſam, cui hæc omnia à Portâ Ottomanicâ comiſſa erant, expeditur à Statibus.

Nec Epiſcopus Vácienſis toties à Principe Apafio neglectus propoſitum ſuum negligit, nullam enim quamvis ad nuperas ſuas literas accepiſſet reſolutionem, alteras tamen eidem denuò mittit, tenoris hujuſmodi.

Illuſtriſſime Princeps, Domine obſervandiſſime.

NUllam quamvis ad iteratas à Veſtra Celſitudine (incognitâ quidem mihi causâ) acceperim reſolutionem. Ex aulâ tamen ſuæ Majeſtatis certa quædam allata, neceſſarioq; Celſitudini veſtræ ſignificanda urgent, antequam revertar, Tranſylvaniam ingredi; Eandem quocirca ſummâ cum confidentiâ rogo, ſuo ac Kucsuk Paſſæ nomine literas ſalvi paſ-

sûs, comitivámq́; sufficientem transmittere dignetur, sciatq; cum scitu suæ Majestatis vestram Celsitudinem me velle adire; Crastino die (Deo favente) Kövárinum versus memet moturus sum, illic necessarium est comitiva sit præsens, moram rebus non patientibus. Spero Deo propitio publicæ paci consultum fore. Eandem interea divinæ protectioni commendat, & manet paratissimus servitor Franciscus Szent-Georginus, electus Episcopus Váciensis, & Præpositus Posoniensis. Datæ Szakmárini, &c. die, anno, &c.

Acceptis Princeps Apafius literis. Quoniam in iis, cum scitu Sacratissimæ Imperatoriæ Majestatis, de communiq; pace se tractaturum ingredi velle scripserat, missæ ut optabat, tam ab eo, quam Kucsuk Memhet Passâ literæ salvi passûs. Scribit præterea Princeps eidem, ut suæ Majestatis satisfieri possit existimationi, utrum legatus ejus ad Principem veniat, infor-

mare ne gravetur, qui Principi Apafio rescripsit his verbis.

Celsissime Princeps, Domine observantissime.

R*Em Christianâ pietate dignam vestra Celsitudo præstitit, literas salvi passûs ad requisitionem meam transmittendo. Intelligo vestram Celsitudinem scire velle, utrum legatus Sacratissimæ Imperatoriæ Majestatis eam, quod ex præcedentibus meis literis intelligere potuit, me cum scitu suæ Majestatis vestram Celsitudinem adituram, cum ab aula dictæ Majestatis, nova quædam necessariò vestræ Celsitudini significanda acceperim; Magnam in Deo spem habens, publicæ consultum fore quieti, saltem comitiva quanto citiùs expediatur, ne res tanti momenti per inutilem hanc moram perditum eat. De cætero Deus vestram Celsitudinem conservet. Cujus manet paratissimus servitor Franciscus Szent Georginus, electus Episcopus*

pus Vaciensis. Ex Kővár die &c. Maji, Anno &c.

Ad eum itaq; comitandum Georgius Szürtei officialis cum alâ equitum Kôvárinum usque missus, cui ut rectâ in castra deduceret, nec eum Szamosujvárinum divertere sineret injunctum. Verùm contemptis ejus monitis, qui virtute literarum salvi passûs, non aliorsum, sed per quos datæ erant ad illos eundem esse assereret, rectâ Szamosujvárinum versus profectus, evocatis illinc Commendante ac Stephano Ebenio, occulta cum iis init colloquia, impetratisque à Stephano Ebenio equis, illis vectus ad Principem Apafium, castra penes Claudiopolim, ut præmissum, habentem proficiscitur, à quo certis in occursum ejus Hungarorum missis cohortibus honorificè exceptus, in tentorium erectum deducitur.

Reliquum diei quieti datum. Sequenti, nomine Principis salutatus, ne

quàm hactenus unquam factum, ex urbe subsequutæ.

Circa vesperam ejus diei, equos ac aurigas, à Stephano Ebenio rogatos, proprio servo (quidnam ejus commiserit fidei ipse novit) adjuncto, insciis omnibus Szamosujvarinum Episcopus Vácìensis remittit. Sed excubiis rem subolfacientibus, revocatus servus, aurigæ ac equi dimissi.

Kuksuk Membet Passa quoq; officio humanitatis (si illius quoquomodo particeps dici potest) satisfacere volens, OlajBegum Gyulaiensem, hominem vafrum, linguæque Hungaricæ peritissimum, ad salutandum dictum Episcopum mittit, *per quem ignorantiam horæ ingressus ipsius, qua præpeditus (tanquam Sacratissimæ Imperatoriæ Majestatis congruebat legatum) obviis Turcarum cohortibus solenniter excipere nequivisset, excusat, cùm publicæ insudantem paci, qualiter colere deceat, nec ipse sit ignarus. Eum itaque*

que tanquam amicum ſuum, ut conſcenſo ſequenti die, phalerato, quem ipſe miſſurus eſt, equo, ſe adire, de modalitatibusq; pacis tractare, ne gravetur, rogat.

SECTIO XXXI.

At ille, à ſua Majeſtate, ipſius quicquam commiſſum fidei negat, nec educendorum è fortalitiis Tranſylvanicis præſidiorum poteſtatem habere; Verùm ad perſpiciendas res Tranſylvanicas, ut de iis ſuam Majeſtatem in veritate informet, ſe ingreſſum refert. Cum ſtupore audit Olaj Begus, verbis per quatuor Conſiliarios Principi nunciatis contraria dicentem, quorum ut memor, promiſſis ſuis ſatisfaciat, paceque inter duos potentiſſimos (ut ipſe ait) Imperatores renovata, è fortalitiis præſidia educat, hortatur; verùm ille quicquid ſpecificati quatuor Conſiliarii ipſius nomine dixerant, ſe dixiſſe, vel facturum, apertiùs negat.

Discedit turbatus è tentorio ipsius Olaj Begus, ac Principi Apafio primùm, mox Kucsuk Memhet Passæ, Episcopum Vaciensem, omnia verba revocasse, significat.

Quo dictus Princeps ac Transylvani audito, è magna pacis spe tristes excidêre; Kucsuk Memhet Passa autem, (natura impatientissimus, ac omnis expers humanitatis) vehementer excandescit; Janizaris tentorio ejus circumdato, legati authoritate destitutus, *cur expiscatum, technasq; moliturus, interruptâ domesticâ quiete Transylvaniam ingredi præsumpserit, quærens.*

Nisi itaque promissis satisfecerit, castris non egressurum jurat. Vaciensem Episcopum quicquid libuerit sub nomine suæ Majestatis licere sibi hactenus credentem, non mediocris (his auditis) incessit timor.

Regni itaque Transylvaniæ Status, (qui ibidem in castris congregati erant) ut Sacratissimæ Imperatoriæ Majestatis

(ex cujus scitu ipse Transylvaniam ingressus) nomen præ oculis habentes, liberum à Kucsuk Membet Passa, à quo juramentales missæ fuêre ei literæ, sibi obtineant passum, rogat; Apud quos dictum Episcopum, (etiam si legatus esset) deflectendo Szamosujvarinum, (quo divertendi licentia, literis juramentalibus minimè erat inserta;) Expediendo clam ad Stephanum Ebenium servo suo; Principe Apafio ac Kucsuk Memhet Passa insciis in Civitatem ingressu; revocando prætereà prolata in præsentiâ quatuor Consiliariorum verba, ipsummet sibi exitium peperisse, quamvis constaret; Falli tamen per eum, quàm Sacratissimam Imperatoriam Majestatem offendere maluêre. Singulosque è tribus nationibus ad Kucsuk Memhet Passam mittentes legatos, *ut liber dimitteretur enixè rogavêre, sed ille pro deprehenso in re tam manifestâ intercedentes, non imprudenter, verùm ex collusione malitiosè face-*

re, obsequio Ottomanicæ Portæ (ut par erat) non satisfacientibus nunquam se assensurum; Quin potiùs per celeres tabellarios hæc omnia Ali Passæ significaturum, ejusq; dispositioni rem totam subjecturum, respondet; Regnum Transylvaniæ potentissimi Imperatoris hæreditarium, seque (donec fortalitia Germanicis præsidiis evacuabuntur) cum plenaria authoritate defensioni ejus præpositum, nemini in negotiis regni velle subjacere subnectens. Severis præterea verbis, cur dictus Episcopus potentissimum Imperatorem fallere præsumpsisset, exemplumq; in ipso ne talia alii attentent facturum se dicit.

Displicuëre hæc Episcopo, multisque per complures dies vicibus, si ipsi Szakmarinum regredi permitteretur, certo certiùs pacem (se intercedente) coalituram, asserenti, eadem à Kucsuk Passâ resolutio data.

Pollicitationibus itaq; se posse elabi, non ampliùs sperans dictus Episcopus

pus. *Areſtationem ſuam, extremè periclitantis Tranſylvaniæ ſtatum, per literas (quæ celeri curſu per Principem Apafium fuêre tranſmiſſæ) Sacratiſſimæ Imperatoriæ Majeſtati, totique ejuſdem aulæ, non ſine lacrymis aperit, ut eductis præſidiis publicæ conſulatur paci, per viſcera Chriſti obteſtans*, quæ antequam obſignarentur, Kucsuk Memhet Paſſa præſente, ut perlegantur ab eodem imperatum. Generali præterea Franciſco à Schnejdau (qui juxta Rivulinum (NagyBánya) cum certis erat armatorum millibus) *ut ibidem ſubſiſtat, nec ulteriùs verſus Tranſylvaniam moveat gradum, literas interim ad Sacratiſſimam Imperatoriam Majeſtatem ſcriptas promoveat, ſcribit.*

Nil interea horum, quid Epiſcopus Vacienſis ageret, quibuſque negotiis occuparetur, cognitum in aulâ ſuæ Majeſtatis; Literæ quocirca ab eadem ad illum mittuntur in hæc verba.

SECTIO XXXII.

Leopoldus Divinâ favente clementiâ, Electus Romanorum Imperator semper Augustus. Reverende fidelis nobis dilecte. Intellexerit fidelitas tua ex nostris die 15. & 20. Maji, Nos benignè resolvisse, quòd si Claudiopolis, quæ arctissimâ obsidione premi nunciabatur, non ampliùs manuteneri, neque etiam succurri possit, tunc præsidium impositum educendum esse, eâ conditione, quando Apafius assecuratus fuerit, quòd Turcæ nihil ulteriùs sint prætensuri, sed omnia in pristinum & antiquum statum reposituri, cùm nullatenus sit nostra intentio, ut præsidium Germanicum Claudiopoli egrediatur, si Turcæ illam occupare vellent, potiùs verò ut dicta civitas in libertate suâ permaneat, & omni meliore modo defendatur.

Necessarium judicavimus per expressum Cursorem hanc benignam nostram

ſtram intentionem meliùs explicare, ne fortè prœmaturis tractatibus communi patriæ bono quoddam damnū adferatur, & proinde noverit fidelitas tua, eam noſtram eſſe reſolutionem, ut præſidium Claudiopoli non educatur, neq; de eductione ejusdem tractetur, niſi extremâ neceſſitate poſtulante, nempe ſi locus ille ab impoſito præſidio ulterius defendi, ſive etiam eidem exteriore militiâ ſuccurri nullatenus poſſet, tunc primò fidelitas tua tractatus, ſub conditione tamen in anterioribus literis noſtris expreſſâ, ut Turcæ præſidium non imponant, & omnia in priſtino tranquillo ſtatu, atque libertate permittant, inire poterit. Secundò, cùm plurimùm interſit, ne dicta ordinantia ad notitiam aliorum perveniat, adeoq; noſtri ſervitii ratio omnimodè expoſcat, ut eadem ordinantia in ſecreto ſervetur, & nulli mortalium communicetur, eapropter eandem fidelitati tuæ prout 15. Maji notificavimus, in benignâ confidentiâ detegere, &

ejus-

quum reducendo modum, diſtinguendiſq; Tranſylvaniæ limitibus tractaturus Gabriel Haller Temeſvárinum ad Ali Paſſam, cui hæc omnia à Portâ Ottomanicâ com̃iſſa erant, expeditur à Statibus.

Nec Epiſcopus Vácienſis toties à Principe Apafio neglectus propoſitum ſuum negligit, nullam enim quamvis ad nuperas ſuas literas accepiſſet reſolutionem, alteras tamen eidem denuò mittit, tenoris hujuſmodi.

Illuſtriſſime Princeps, Domine obſervandiſſime.

NUllam quamvis ad iteratas à Veſtra Celſitudine (incognitâ quidem mihi causâ) acceperim reſolutionem. Ex aulâ tamen ſuæ Majeſtatis certa quædam allata, neceſſarioq; Celſitudini veſtræ ſignificanda urgent, antequam revertar, Tranſylvaniam ingredi; Eandem quocirca ſummâ cum confidentiâ rogo, ſuo ac Kucsuk Paſſæ nomine literas ſalvi paſ-

sûs,

sûs, comitivámq; sufficientem transmittere dignetur, sciatq; cum scitu suæ Majestatis vestram Celsitudinem me velle adire; Crastino die (Deo favente) Kovárinum versus memet moturus sum, illic necessarium est comitiva sit præsens, moram rebus non patientibus. Spero Deo propitio publicæ paci consultum fore. Eandem interea divinæ protectioni commendat, & manet paratissimus servitor Franciscus Szent-Georginus, electus Episcopus Váciensis, & Præpositus Posoniensis. Datæ Szakmárini, &c. die, anno, &c.

Acceptis Princeps Apafius literis. Quoniam in iis, cum scitu Sacratissimæ Imperatoriæ Majestatis, de communiq; pace se tractaturum ingredi velle scripserat, missæ ut optabat, tam ab eo, quam Kucsuk Memhet Passâ literæ salvi passûs. Scribit præterea Princeps eidem, ut suæ Majestatis satisfieri possit existimationi, utrum legatus ejus ad Principem veniat, infor-

mare ne gravetur, qui Principi Apafio rescripsit his verbis.

Celsissime Princeps, Domine observantissime.

REm Christianâ pietate dignam vestra Celsitudo præstitit, literas salvi passûs ad requisitionem meam transmittendo. Intelligo vestram Celsitudinem scire velle, utrum legatus Sacratissimæ Imperatoriæ Majestatis eam, quod ex præcedentibus meis literis intelligere potuit, me cum scitu suæ Majestatis vestram Celsitudinem adituram, cum ab aula dictæ Majestatis, nova quædam necessariò vestræ Celsitudini significanda acceperim; Magnam in Deo spem habens, publicæ consultum fore quieti, saltem comitiva quanto citiùs expediatur, ne res tanti momenti per inutilem hanc moram perditum eat. De cætero Deus vestram Celsitudinem conservet. Cujus manet paratissimus servitor Franciscus Szent Georginus, electus Episcopus

pus Vaciensis. Ex Kővár die &c. Maji, Anno &c.

Ad eum itaq; comitandum Georgius Szürtei officialis cum alâ equitum Kôvárinum usque missus, cui ut rectâ in castra deduceret, nec eum Szamosujvárinum divertere sineret injunctum. Verùm contemptis ejus monitis, qui virtute literarum salvi passûs, non aliorsum, sed per quos datæ erant ad illos eundem esse assereret, rectâ Szamosujvárinum versus profectus, evocatis illinc Commendante ac Stephano Ebenio, occulta cum iis init colloquia, impetratisque à Stephano Ebenio equis, illis vectus ad Principem Apafium, castra penes Claudiopolim, ut præmissum, habentem proficiscitur, à quo certis in occursum ejus Hungarorum missis cohortibus honorificè exceptus, in tentorium erectum deducitur.

Reliquum diei quieti datum. Sequenti, nomine Principis salutatus, ne

itineris sui causam aperire gravaretur, rogatur, ipsius verò arbitrio, quâ Principem die coram alloqui vellet permissum.

Quatuor Consiliarii, per quos propositum suum Principi aperire possit, ut ad se mittantur, optat; Comes itaque Ladislaus Redei, Joannes Betlenius, Sigismundus Bánfi, ac Franciscus Kerelztesi, Consiliarii à Principe missi, in quorum præsentiâ, homo eloquentissimus, *quantopere Transylvaniæ (patriæ suæ charissimæ) calamitatibus compatiatur*, *prolixis recenset verbis*, *nec se ipso quemquam ejus amantiorem gloriatur, cum scitu itaq; suæ Majestatis ad sedandos regni tumultus, educendaq; è fortalitiis Transylvanicis præsidia Germanica se venisse refert. Verùm nisi Commendantem Claudiopolitanum ipsimet alloqui liceat, irritum fore laborem, nec secretum Domini sui, etiamsi præsentissima immineret mors, se chartæ commissurum, dicit.*

Non

Non mediocrem dictis Consiliariis, quod secretum cum Commendante Claudiopolitano colloquium tantopere urgeret, ne aliquid diversi moliretur, suspicionem injecit, verùm optatam offerenti pacem, maximè verò viro spirituali, quem a fuco alienum esse oportebat, non poterant non credere. Cuncta itaque ab eo prolata Principi Apafio referunt; Ut sequenti die ante portam Claudiopolitanam, cum dicto Commendante coram loquatur, tam a Principe, quàm Kucsuk Passa permissum.

Sequenti itaque die tubicine Principis prȩeunte, carpento vectus, urbem versus se movet, occlusamque metu hostili portam carpento ingredi non valens, Principe, ac Kucsuk Memhet Passa, insciis, pedes urbem ingreditur, tres, imò plures cum Comendante horas in secreto de rebus ipsis solis notis tractat, conscensoq; curru regressus in castra, explosiones longè frequẽtiores

quàm hactenus unquam factum, ex urbe subsequutæ.

Circa vesperam ejus diei, equos ac aurigas, à Stephano Ebenio rogatos, proprio servo (quidnam ejus commiserit fidei ipse novit) adjuncto, insciis omnibus Szamosujvarinum Episcopus Vácensis remittit. Sed excubiis rem subolfacientibus, revocatus servus, aurigæ ac equi dimissi.

Kuksuk Memhet Passa quoq; officio humanitatis (si illius quoquomodo particeps dici potest) satisfacere volens, Olaj Begum Gyulaiensem, hominem vafrum, linguæque Hungaricæ peritissimum, ad salutandum dictum Episcopum mittit, *per quem ignorantiam horæ ingressus ipsius, qua præpeditus (tanquam Sacratissimæ Imperatoriæ Majestatis congruebat legatum) obviis Turcarum cohortibus solenniter excipere nequivisset, excusat, cùm publicæ insudantem paci, qualiter colere deceat, nec ipse sit ignarus. Eum itaque*

que tanquam amicum suum, ut conscenso sequenti die, phalerato, quem ipse missurus est, equo, se adire, de modalitatibusq; pacis tractare, ne gravetur, rogat.

SECTIO XXXI.

ATille, à sua Majestate, ipsius quicquam commissum fidei negat, nec educendorum è fortalitiis Transylvanicis præsidiorum potestatem habere; Verùm ad perspiciendas res Transylvanicas, ut de iis suam Majestatem in veritate informet, se ingressum refert. Cum stupore audit Olaj Begus, verbis per quatuor Consiliarios Principi nunciatis contraria dicentem, quorum ut memor, promissis suis satisfaciat, paceque inter duos potentissimos (ut ipse ait) Imperatores renovata, è fortalitiis præsidia educat, hortatur; verùm ille quicquid specificati quatuor Consiliarii ipsius nomine dixerant, se dixisse, vel facturum, apertiùs negat.

Diſcedit turbatus è tentorio ipſius Olaj Begus, ac Principi Apafio primùm, mox Kucsuk Memhet Paſſæ, Epiſcopum Vacienſem, omnia verba revocaſſe, ſignificat.

Quo dictus Princeps ac Tranſylvani audito, è magna pacis ſpe triſtes excidêre; Kucsuk Memhet Paſſa autem, (natura impatientiſſimus, ac omnis expers humanitatis) vehementer excandeſcit; Janizaris tentorio ejus circumdato, legati authoritate deſtitutus, *cur expiſcatum, technaſq; moliturus, interruptâ domeſticâ quiete Tranſylvaniam ingredi præſumpſerit, quærens.*

Niſi itaque promiſſis ſatisfecerit, caſtris non egreſſurum jurat. Vacienſem Epiſcopum quicquid libuerit ſub nomine ſuæ Majeſtatis licere ſibi hactenus credentem, non mediocris (his auditis) inceſſit timor.

Regni itaque Tranſylvaniæ Status, (qui ibidem in caſtris congregati erant) ut Sacratiſſimæ Imperatoriæ Majeſtatis

(ex

(ex cujus scitu ipse Transylvaniam ingressus) nomen præ oculis habentes, liberum à Kucsuk Memhet Passa, à quo juramentales missæ fuêre ei literæ, sibi obtineant passum, rogat; Apud quos dictum Episcopum, (etiam si legatus esset) deflectendo Szamosujvarinum, (quo divertendi licentia, literis juramentalibus minimè erat inserta;) Expediendo clam ad Stephanum Ebenium servo suo; Principe Apafio ac Kucsuk Memhet Passa insciis in Civitatem ingressu; revocando præterea prolata in præsentiâ quatuor Consiliariorum verba, ipsummet sibi exitium peperisse, quamvis constaret; Falli tamen per eum, quàm Sacratissimam Imperatoriam Majestatem offendere maluêre. Singulosque è tribus nationibus ad Kucsuk Memhet Passam mittentes legatos, *ut liber dimitteretur enixè rogavêre, sed ille pro deprehenso in re tam manifestâ intercedentes, non imprudenter, verùm ex collusione malitiosè face-*

re, obsequio Ottomanicæ Portæ (ut par erat) non satisfacientibus nunquam se assensurum; Quin potiùs per celeres tabellarios hæc omnia Ali Passæ significaturum, ejusq; dispositioni rem totam subjecturum, respondet; Regnum Transylvaniæ potentissimi Imperatoris hæreditarium, seque (donec fortalitia Germanicis præsidiis evacuabuntur) cum plenaria authoritate defensioni ejus præpositum, nemini in negotiis regni velle subjacere subnectens. Severis præterea verbis, cur dictus Episcopus potentissimum Imperatorem fallere præsumpsisset, exemplumq; in ipso ne talia alii attentent facturum se dicit.

Displicuëre hæc Episcopo, multisque per complures dies vicibus, si ipsi Szakmarinum regredi permitteretur, certo certiùs pacem (se intercedente) coalituram, asserenti, eadem à Kucsuk Passâ resolutio data.

Pollicitationibus itaq; se posse elabi, non ampliùs sperans dictus Episcopus

pus. *Areſtationem ſuam, extremè periclitantis Tranſylvaniæ ſtatum, per literas (quæ celeri curſu per Principem Apafium fuêre tranſmiſſæ) Sacratiſſimæ Imperatoriæ Majeſtati, totique ejuſdem aulæ, non ſine lacrymis aperit, ut eductis præſidiis publicæ conſulatur paci, per viſcera Chriſti obteſtans*, quæ antequam obſignarentur, Kucsuk Memhet Paſſa præſente, ut perlegantur ab eodem imperatum. Generali præterea Franciſco à Schnejdau (qui juxta Rivulinum (NagyBánya) cum certis erat armatorum millibus) *ut ibidem ſubſiſtat, nec ulteriùs verſus Tranſylvaniam moveat gradum, literas interim ad Sacratiſſimam Imperatoriam Majeſtatem ſcriptas promoveat, ſcribit.*

Nil interea horum, quid Epiſcopus Vacienſis ageret, quibuſque negotiis occuparetur, cognitum in aulâ ſuæ Majeſtatis; Literæ quocirca ab eadem ad illum mittuntur in hæc verba.

SECTIO XXXII.

Leopoldus Divinâ favente clementiâ, Electus Romanorum Imperator semper Augustus. Reverende fidelis nobis dilecte. Intellexerit fidelitas tua ex nostris die 15. & 20. Maji, Nos benignè resolvisse, quòd si Claudiopolis, quæ arctissimâ obsidione premi nunciabatur, non amplius manuteneri, neque etiam succurri possit, tunc præsidium impositum educendum esse, eâ conditione, quando Apafius assecuratus fuerit, quòd Turcæ nihil ulteriùs sint prætensuri, sed omnia in pristinum & antiquum statum reposituri, cùm nullatenus sit nostra intentio, ut præsidium Germanicum Claudiopoli egrediatur, si Turcæ illam occupare vellent, potiùs verò ut dicta civitas in libertate suâ permaneat, & omni meliore modo defendatur.

Necessarium judicavimus per expressum Cursorem hanc benignam nostram

ſtram intentionem meliùs explicare, ne fortè præmaturis tractatibus communi patriæ bono quoddam damnũ adferatur, & proinde noverit fidelitas tua, eam noſtram eſſe reſolutionem, ut præſidium Claudiopoli non educatur, neq; de eductione ejusdem tractetur, niſi extremâ neceſſitate poſtulante, nempe ſi locus ille ab impoſito præſidio ulterius defendi, ſive etiam eidem exteriore militiâ ſuccurri nullatenus poſſet, tunc primò fidelitas tua tractatus, ſub conditione tamen in anterioribus literis noſtris expreſſâ, ut Turcæ præſidium non imponant, & omnia in priſtino tranquillo ſtatu, atque libertate permittant, inire poterit. Secundò, cùm plurimùm interſit, ne dicta ordinantia ad notitiam aliorum perveniat, adeoq; noſtri ſervitii ratio omnimodè expoſcat, ut eadem ordinantia in ſecreto ſervetur, & nulli mortalium communicetur, eapropter eandem fidelitati tuæ prout 15. Maji notificavimus, in benignâ confidentiâ detegere, & ejus-

ejusmodi tractatus, posito suprà memorato necessudtis casu, eidem committere voluimus, non dubitantes fidelitatem tuam omnia in summo secreto habituram. Tertiò, præstolamur per latorem præsentium, exactissimam informationem omnium rerum, quæ in partibus illis aguntur, quarum notitiam fidelitas tua per diligentes & fideles exploratores acquirere, & nos de iis per hunc Cursorem informare non intermittat, prouti id ipsum quoque nostro constituto Colonello Francisco de Schnejdau mandari curavimus, & pro fine Imperialem Regiamque gratiam nostram fidelitati tuæ benignè confirmamus. Dabantur in arce nostrâ Regiâ Posoniensi die 1 Mensis Junii, Anno. 1662. Regnorum nostrorum Romani quarto, Hungarici septimo, Bohemici verò sexto. Leopoldus.

Generalis Schnejdau (adjunctis propriis) Episcopo Vaciensi in castra Claudiopolim juxta sita has transmittit, in

tit, in ſuperficie literarum, præter ipſius Epiſcopale munus, Conſiliarium per parteſque regni Hungariæ ſuperiores Generalem eum Commiſſarium intitulans. Integræ utræque operâ Principis Apafii quo deſtinatæ erant penetravêre literæ, verùm ex informatione Janizarorum, qui arctâ Epiſcopum circumdederant cuſtodiâ, allatas eas eſſe intelligens Kucsuk Mẽhet Paſſa, invitum coëgit Epiſcopum, ipſi, ac per eum cunctis evulgare. Ex quibus certam de educendis ſub conditione præſidiis tempore in Tranſylvaniam ingreſsûs eum habuiſſe conſtitit ordinantiam, verùm donec reſiſtendi ſuppeterent vires, ne deditionem urbis Commendans Claudiopolitanus faceret, apertè in literis poſterioribus vetabatur. Quod præter expectationem Statuum incognitâ nobis factum causâ fatemur.

In Tranſylvaniam ingreſſu, actiſque præmemoratis Epiſcopi Vacienſis interea

terca intellectis ex literis Kucsuk Memhet Passæ, Ali Passa ad se Temesvarinum deduci imperat, cui morem gerens ille, dum dicto Episcopo ut adsequentis diei iter se accingat, nunciat, nonnulli servorum metu perculsi, (eos in campo pascentes equos nemine custodiente) deserto hæro aufugêre, quos tamen non proprios, sed à Simone Keményio ipsi adjunctos fuisse, deinde constitit. Episcopus cum trecentorum equitum comitivâ Temesvarinum versus sequenti die promotus, appropinquanti, quingenti equites ab Ali passâ in occursum missi, exceptusque satis honestè, hospitium nihilominus ipsius arcta Janizarorum custodiâ circumdatum.

Evulgata undiquaque dicti Episcopi arrestatione, motis versus Transylvaniam Generalis Schnejdau castris, Kucsuk Memhet passam, ex inopinato in castris adoriri statuit, verùm intentio ipsius minimè alios latere potuit; *Universis*

versis itaque Turcicis proceribus, ut impedimentis calonibusq; Marosvasarhelyinum versus ad interiora regni sub noctem remissis, ex inopinato eos qui ipsum opprimere student, cum toto suorum robore aggrediatur, velocitateque famam sui praveniens, fessos eos, quos spes victoriæ, nil tale metuentes reddit, (cum eodem in loco hostem præstolanti, cum triplici hoste Claudiopolitano nimirum, ac Szamosujvariensi præsidiis, exercituq; Generalis Schnejdau ipsi pugnandum esset, invadat, suasêre.

Sed ille omnium (nisi stolidam temeritatem eam dicas) virtutum expers, consilio eorum prudentiæ pleno contempto, nunquam Generalem Schnejdau se invasurum sibimet persuadens, *si ille hostili erga se esset animo, ibidem expectaturum respondit*, verùm non satis prudenter sibi consuluisse, paucis post diebus experientia docuit.

nec

rubus, non mediocri ejus parte illic relictâ, duo milliaria Hungarica retrocedere, castraque juxta civitatem Tordam in campum Keresztes transferre cogitur; procul dubio ne ulteriùs recederet, auxiliorum duorum dierum itinere distantium, quæ effectivè intra triduum supervenêre, spe animatus.

Claudiopolim usque penetrans cum suis Generalis Schnejdau deserta reperit hostilia castra, renovatoque præsidio Claudiopolitano, nil moratus, Dessinum versus, illinc in regiones Hungariæ vicinas regressus, ingentem pecorum vim, miserrimis eripit rusticis, castraq; juxta pagum Szilszeg in ripâ Samosii fluvii Szakmarinum versus currentis locat.

Principe Apafio unà cum Kucsuk Memhet Passa castra in campo Keresztes (ut præmissum) habente, Joannes Daczo jam pridem ad Ottomanicam Portam expeditus, cum supremi Vezerii supervenit literis, in quibus inter

reliqua

reliqua ſcribit ille, *Sacratiſſimæ Imperatoriæ Majeſtatis legatus, qui ad pacem tractandam Conſtantinopolim fuerat expeditus, ad Ali Paſſam (cui plenaria tractandi data fuerat poteſtas) rejectus quamvis fuiſſet, ſuperveniente tamen recentiori ejusdem Majeſtatis legato, ibidem Conſtantinopoli tractatum definiri placuiſſe, concluſam quocirca intelligat Princeps Apafius inter duos Imperatores pacem, quam violare minimè præſumat, omnes quin potiùs actiones ſuas ad eam tuendam dirigat.*

Conformes Kucsuk Memhet Paſſæ quoq; miſſæ, ne aliquid hoſtile moliatur interdictum. Quæ in caſtris promulgata, non mediocriter exhilaravêre cunctos.

Verùm ſucceſſu temporis optatæ pacis rumor paulatim evaneſcere cœpit, Purpuratus enim Supremus concluſam inter duos Imperatores pacem qualiter ſibi perſuaſerit, ipſe novit.

Con-

Continuatus tamen per totam Æſtatem ac Autumnum ejus tractatus, præcipitique hyeme, exercitus ſuæ Majeſtatis (qui mediocris erat) in arces Hungariæ, Turcis vicinas, in hyberna diſtributus; Ali paſſa cum immensa ſuorum multitudine, Temeſvarini, Albæ Græcæ, in aliiſque fortalitiis Turcicis, Kucsuk Memhet paſſa cum iis, quibuſcum in Tranſylvaniâ bellum geſſerat, ibidem quartiria ſua fixêre.

Nec Gabriel Haller (quem regni Tranſylvaniæ Status cum quibuſdam adjunctis, ad Ali paſſam de re jam ſpecificata expediverant, per longũ temporis intervallum negotiis regni cum emolumento Temeſvarini incumbere poterat, melliti ſſimis quamvis enim cũ Ali paſſa & ſui demulcerent verbis, nec contra puncta deditionis Varadienſis quicquam terminis regni Tranſylvaniæ adempturum Ali Paſſa aſſereret, inſigni tamen magnus ille nequam perfidiâ, violatis (quas juramento firmaverat) dedi-

deditionis Varadiensis conditionibus, *officialem quendam suum (Piri Passa dictum) Regestum quoddam (ipsi Teffter nominant) clam scribere, præter (omitatum Bihariensem, in quo arx Varad sita erat, Karasznensem, ac Szolnok Mediocrem integros Comitatus Comitatuum verò Colosiensis, Szolnok Interioris, & Dobocensis potiores partes tanquam ad arcem Varad pertinentes, iis inserere jubet, expeditoq; clandestinè ad Imperatorem Turcarum cum dicto Regesto eodem, confirmationem consignationis suæ vafrè urget, ne ipsum contra propria pacta fecisse Ottomanica Porta (à quâ ut obligationi suæ tempore deditionis arcis Varadiensis factæ satisfaciat, severè erat injunctum) subolfacere posset, omni celans industriâ.*

Non tamen hæc latere potuêre sagacem Gabrielis Haller animum, per quem empti muneribus Ali Passæ Consiliarii, nefarium hocce mysterium in

lucem

lucem prodidêre. Informatus itaq; Princeps Apafius, tam ad Purpuratum Varadiensem Huszaim Passam, per cujus subjectos indesinentes contra miserrimos rusticos Transylvaniæ subjectos excursiones fiebant, *literas ac legatum (cur contra mandatum potentissimi Imperatoris talia attentaret) expostulatum mittit* ; *Quam etiam Ottomanicam Portam iteratis vicibus demisse eadem de re legationibus & literis vel hodie fatigat* , nullâ tamen specificâ Ali Passæ (quem mater Imperatoris Turcarum singulari patrocinio tuebatur, minimè itaque accusare tutum erat) mentione factâ, sed omnia Purpurati Varadiensis (Huszaim Passæ) ab ipsoq; (quasi) subordinati Piri Passæ machinationibus imputans. Utrum labor hic Principis felicem (quem faxit Deus) sortiatur effectum , exitus docebit.

Circa hæc tempora Reverendissimus ac Illustrissimus Dominus Franciscus

Szent-Georgius Episcopus Vaciensis, suæ Majestatis Consiliarius (quem ut præmissum) Kucsuk Memhet Passa, è castris juxta Claudiopolim positis Temesvarinum transmiserat, aresto quidem solutus, vir mollis, ad sustinendaque vicissitudinum humanarum onera, non satis firmus, dum mœrore se conficit de exituq; tractatûs felici desperat, in humanis esse desiit.

Gabriel Haller quoq; ac reliqui regni Statuum legati hactenus minimè dimissi, honestè quidem absque aresto ibidem commorantes, optatâ cum resolutione eos propediem se dimissurum spondente Ali Passâ, quæ qualiter præstabit, exitus rei docebit.

Nec Kucsuk Memhet Passa (quem per magnatem quendam Joannem Daczo in Portâ Ottomanicâ de excessibus compluribus accusatum, comminationeque mortis ut se contineat admonitum scripsimus) res Transylvanicas, Principemq; Apafium, in Ottomanicâ Portâ,

Portâ, per Cancellarium ejusdē (Rez-Effendi ipsis dictum) cujus filiam uxorem habebat, traducere, *Ali Passámque, cujus omnes actiones sub specie probitatis hactenus facta Transylvaniæ exitiosæ sunt fuerêque, indesinenter irritare prætermittebat, intervenientiis nonnullis fidem verbis ejus adstruentibus*, quæ sic se habebant: Sub specie commeatûs miseris rusticis extorquēdi, divisi in toto regno Turcæ, ubi vel meticulosos, vel debiles nancisci poterant, equis aliisque rebus exuere pro nihilo ducebant, paulatim verò vires sumente audaciâ, humiliū quoque thoros incæstare ausi; Quod dum in suburbio civitatis Coronensis (Brassò Hungaris) quidam Turca tentare præsumsisset, resistentem mulierculæ maritum gladio brevi (quali fermè omnes Turcæ, depositis etiam aliis armis utuntur) transfixum occidit. Concurrunt ad excitatum vicini tumultum, captumque homicidam ad supremum ejus urbis Ju-

dicem deducunt, qui convocato Senatu, in homicidio tam manifeſto deprehenſum juxta leges regni capite plecti juſſit, nondum exoleſcente antiquę libertatis memoriâ, patriarumq; legum rigore mentibus eorum.

Hoc Kucsuk Paſſa audito, homicidam quidem tam manifeſtum directè excuſare erubuit; *Verùm potentiſſimi Imperatoris milites ipſius ſolius directioni pœnæque ſubjectos prætendens, non licuiſſe tributariis Imperatoris ſubditis manus militi ſuo injicere aſſerit, ultionemque de iis qui in alienam (ut ipſe ait) meſſem falcem immisêre, flagitat.* Cui modeſtiſſimis Princeps Apaſius reſpondens verbis lenire nitebatur immeritò expoſtulantem; ſed illæ antiquæ non immemor offenſæ, *per homicidæ capite mulctati cognatos à ſe ſubordinatos Ali Paſſam eodem de negotio, non juxta rei veritatem informatum requirit, Principem præterea Apaſium (ad quem Germanicis præſi-*

diis

diis munitorum fortalitiorum Commendantes de rebus non magni momenti literas per tubicines missitabant,) occultam cum Cæsareanis correspondentiam habere prætendens, in tantam deducit diffidentiam, ut literæ ejus quamvis verissimæ nullius efficaciæ, Kucsuk Memhet Passæ autem omnia scripta veritatis plena coram Ali Passâ censerentur.

Obtinuitque hoc astu, ut hyberna quæ in civitate Marusvasarhelyiensi secundùm dispositionẽ Principis Apafii ac regni Statuum fieri debebant, ipsius solius arbitrio submitterentur, pro lubituq; suo in civitate Saxonicali Medgyes, ingenti cum totius regni jacturâ hybernatum subsisteret; abusus itaque authoritate talibus technis partâ, commeatum qui modestè & proportionaliter distributus, numero triplo pluribus quàm ipsius erant milites suffecisset, miseris regnicolis extorquet, vicinas circumcirca regiones vicatim suis

distribuit, nec ita eos emunxisse contentus, singulis pagis literas protectionales invitis incolis (qui eas inutiles prævidebant) obtrudens, certam pro eis summam exigit, superadditi per singulos pagos ejusdem milites, qui dum quartiria pro suis comilitonibus tuentur, pro mense à pago quolibet quinque Imperiales Passæ suo administrent. Ipse Kucsuk Passa ex commeatu tot sceleribus extorto, macellum in civitate Medgyesiensi per suos erigit; Ex farinâ verò similiter partâ, per pistores panum in foro ejusdem urbis publicè quæsturam instituit, eamq; per complures septimanas Medgyesini exercens, cum totam circumcirca sitam regionem penitùs exinanivisset, majori cum emolumento se cum suis piscaturum sperans, cum adjacentis provinciæ jacturâ ac lacrymis Sespurgum non hybernatum, sed quæstûs exercendi gratiâ transit, eademque continuat.

Imminutâ itaque coram Ali Pasâ

dicti

dicti Principis existimatione, necessitati parere cogitur. Accedebant aliæ quoq; contra eum calumniandi occasiones. Nicolaum enim Davidis Zolyomi filium res novas moliri suspectum, Turcis autem multis largitionibus acceptum, in arestum conjecerat, cujus casui Kucsuk Passam indoluisse certò creditum.

SECTIO XXXIV.

Circa hæc tempora præcipiti hyeme à Sacratiss. Imperatoria Majestate, certos ad Principem Apafium expeditos legatos Szakmarinum appulisse auditum, qui tam ad dictum Principem quàm Ali passam pro literis salvi passûs expedivêre cursores, obtinuereque quod optabant. Ali Passa tamen ut antequam Transylvaniam ingrederentur, ad ipsum Temesvarinum deflecterent literis suis inserente, quorum adventus ob causam nobis ignotam per totam hyememm dilatus.

Verùm alii ejuſdem Imperatoriæ Majeſtatis legati Temeſvarinum Viennâ ad tractandam pacem cum literis plenipotentialibus expediti prædicto muneri inſudantes, magnâ coalituræ pacis ſpe circa finem Februarii exhilararunt cunctos, quo exitu inferiùs lucidè perſpiciet lector.

Duplici eoque graviſſimo morbo laborabat interea Tranſylvania; macello enim foroq; Seſpurgi occupatis, Kucsuk Paſſa extortas miſeris ruſticis pecudes, coctoſq; panes vendendo nefariam quæſturam per ſuos exercebat, exutaſq; per eum omnibus bonis regiones, id quod impoſſibile erat præſtare cogens, dum inexplebili ejus deſiderio ſatisfieri non poterat, crudeliſſimis miſeros homines afficiebat verberibus.

Impoſitum ex adverſo octuaginta millium Imperialium tributum, Ottomanica Porta non ſine minis adminiſtrari jubebat; Magnam Tranſylvaniæ partem, contra pacta deditionis Vara-

dien-

diensis à Purpurato ejusdem insignis fortalitii occupari; Claudiopolim, Szamosujvar, Betlen, & Kôvar arces, adjunctasque regiones per Cæsareanos possideri; Kucsuk Passam præspecificatis modis quod residuum in regno erat expilâsse non perpendens.

Tot rerum difficultates terruêre non mediocriter Principem Apafium, qui exhausto (usq; ad grossum) per prædecessores suos regni ærario, solum Principis nomen insigniaque ejus nactus, nullos inter tot rerum procellas regni proventus hactenus percipiens succurrendi destituebatur mediis. Extraordinaria quocirca eaq; Generalia Mense Februario Anno [1663] in oppidum Szaszkéezd cogitur indicere regni Comitia, ubi propositis rerum extremitatibus, non rusticis (uti aliàs moris erat) sed prærogativâ nobilitari hactenus usis, impositum juxta proportionem facultatum, tributum. Proceres quoq; Transylvani qui post in-

opinatum Illustrissimi Principis Kemenyii casum, feliciorem Cæsareanarum rerum successum etiamnum sperantes, à Principe Apafio, regniq́ue Statibus tamdiu dissenserant, exoratis sub iisdem Comitiis regnicolis, ad unionem reliquorum admissi, Constitutionesq́ue contra eos hactenus latæ annihilatæ sunt. Patientiam Divinam ad ultionem provocantibus tot afflictissimorum lacrymis Kucsuk Passam quoq́; comitari cœpêre factorum suorum (ut crediderim) fata, dissensione enim inter eum, subordinatosq́ue ipsi officiales orta, universa ejus facinora Ali Passæ, qui supremus Imperatoris Turcarum Generalis(Szerdar ipsis dictus)erat,per eosdem manifestata, in exitium ejus adeò irritavêre eum,ut tãquam Potentissimi Imperatoris regni depopulatori palam mortem minaretur; Qeod utinam Divina faxit bonitas, justoq́; nostro dolori hac victima litet Ali Passa.

LI-

LIBER QUARTUS.

BREVIARIUM LIBRI QUARTI.

Longus inter duos orbis Monarchas pacis tractatus, & fermè jam conclusus iniquas subinde Turcis subnectentibus conditiones evanescit. Multiformis per Kucsuk Passam Transylvaniæ oppressio. Tributum ingens toti regno Transylvaniæ impositum ab exiguâ quæ superest ejus parte crudeliter extorquetur; Preces Transylvanorum pro relaxando eo habitæ irritæ. Supremus Purpuratus cum ducentis circiter millibus armatorum bellũ Romanorum Imperatori infert, & Budam versus se movet. Chami Tartarorũ sive Præcopitarum Principis filius utriusq; præterea Valachiæ Principes per Transylvaniam transeuntes, Budam versus properãt, rapinisq; ac cædibus grassantur.

SECTIO I.

Anno 1663. senescente Martio desideratæ tamdiu inter Romanorum Turcarumque

Imperatores pacis ſpes, denuò in fumum abire cœpit, quod Gabriel Haller Principis Apafii, regniq́ue Tranſylvaniæ Statuum legatus ex variis ſubolfaciens circumſtantiis duabus indubitatè tandem deprehendit occaſionibus, legato enim ſuæ Majeſtatis categorica iteratis vicibus eſt data per Ali Paſſam Temeſvarino abeundi facultas. Quocum ſi de pace ſincerè tractandi eidem animus fuiſſet, non roganti minimè facultatem abeundi obtuliſſet. Iisdem præterea diebus legatus Chami Tartarorum Temeſvarinum appulit, per quem cum Ali Paſſa bellum geſturo ubinam Tartarici ſe conjungant exercitus, tractatum. Quæ omnia Gabrieli Haller per eumq́ue Principi Apafio nota; Univerſas præterea cum ſupremo Purpurato Turcarum Imperatoris copias Conſtantinopoli Hadrianopolim, ac illinc Albam Græcam verſus ſe movere conſtitit, ipſo Imperatore Hadrianopoli ſubſiſtente, quorſum

ſum colluvies iſta immenſa Barbarorum erumpat, non ſolùm nobis afflictiſſimis, in faucibuſque eorum gementibus, verùm aliis quoque nationibus cum tremore expectantibus, niſi, ſubſidiis humanis deficientibus, miſericordia divina medicas rei admoveat manus.

Kucsuk Paſſa interim ne vulpem agere deſiiſſe videretur, nonnullos magnatum Tranſylvanorum, quorum vel prudentiam, vel robur militare obicem machinationibus ipſius injicere poſſe ſuſpicari poterat, fictis obruere criminibus non prætermittit; quoſdam eorum tacitum cum Commendantibus præſidiorum Germanicorum conſenſum habere, álios verò apertè ad eoſdem jam transfugiſſe ſpargens, ſignanter Stephanum Petkium ac Joannem Betlenium hujus facti inſimulans; Convocatiſque Turcicis magnatibus, quod ipſe finxerat, pro re ſibi comperta proponens, ſocordiæ ac negligentiæ

vehementer Principem Apafium accusat, quo negotiis regni juxta muneris sui requisita non invigilante, proditionem Transylvani proceres contra potentissimum Imperatorem nullo vindice foverent, hæc omnia fidelitatis officio id exigente, Ali Passæ, ac per eum potentissimo Imperatori se significare decrevisse; Audiunt fictitia ejus mendacia cum risu potiùs, quàm stupore convocati magnates, quippe cujus (apud eos extremè exosi) pravissimi mores magis quàm Hungaris cogniti erant, nec assensum à quoquam. Quin potiùs unus eorum Olaj Begus Gyulaiensis per occultos nuncios rem totam Principi Apafio patefecit, ut Ali Passam de scelarato hoc figmento præmoneret, per literasque machinationes istas Kucsuk Passæ tempestivè præveniret, admonens; qui sequutus ejus consilium celeri Temesvarinum expedito tabellario, vafrum hoc figmentum legato Gabrieli Haller, per eumque

Ali

Ali Passæ notificavit, quo effectu, ex progressu rerum subsequentium perspicere poterit lector.

Fatiscentibus inter tot angustias cunctorum in Transylvaniâ animis, tributum Portæ Ottomanicæ debitum administrandi jam præterierat tempus, quod ne in contumaciam interpretatum ad exitium denuò eorum provocaret potentissimam nationem, non abs re formidabant regni Status; Internuncius quocirca Michaël Csepregi per Principem Apafium, ne paucorum dierum dilatio regno noxæ imputetur, ad Ottomanicam Portam missus Imperatorem Turcarum, supremumque Purpuratum (qui ante appulsum ejus, præcedenti die Constantinopoli egressi erant) in castris cum ingenti exercitu Hadrianopolim versus tendentes, obvios habuit, redditisque Principis Apafii literis, moræ jam exactæ venia data, tributum interim ut sine ullâ procrastinatione transmittatur severè jussum.

SE-

SECTIO II.

KUcsuk Passa quoque Principi Apafio in dies molestior, circa vigesimum Aprilis dum infatiabili ejus desiderio ab incolis, quos ipse exhauserat, satisfieri nequivisset, inhumanissimis per Olaj Begum Jeniensem ipsi nunciat verbis, trium præ cæteris, Gregorii Gilányi, Petri Vizaknai, ac Michaëlis Arkosi (qui reliquis fermè omnibus metu istius belluæ ex aulâ Principis se subducentibus, soli crebriùs lateri ejus adhærebant) fraude commeatum ab ipso præscriptum interverti compertum se habere; Itaque nisi intra præfixum ab ipso diem omnia absque defectu administrentur, è fenestrâ prospectante, nec facinus ipsum inhibere valente Principe, truncatis in foro Sespurgensi iis, injuriæ suæ litaturum, jurare se per Deum; Quo dictus Princeps non sine stupore audito, tam à civibus civitatis istius, quàm privatis non-

nonnullis commeatu qui reperiri poterat sub spe mutuæ restitutionis sumpto, eoque in buccam toties fato Kucsuk conjecto, eos, qui viri honesti, melioriq; fortunâ digni periclitabantur, eripuit exitio ipsis intentato.

Exilis interea momenti res magnum Kucsuk Passæ sibique subjectis terrorem incussit, quæ sic se habebat: Continuas per integram hyemem Princeps Apafius Kucsuk Passæ, qui hospitio ipsius contiguâ utebatur domo, sustinens Sespurgi solicitationes ac molestias, earum pertæsus, ibidem per complures dies cum Principissâ, quæ hactenus earundem difficultatum spectatrix fuerat, moraturus, animi relaxandi gratia Ebestfalvinum (hæreditarium suum castellum, duobusq; Sespurgo distans milliaribus) cum tota aula transire decrevit; Accingunt se ad iter cujuscunque gradus aulæ ipsius familiares, in transportandis reculis suis vociferatur clamitatq; gynæcéum, Germanorum quo-

quoq; ac alterius nationis dicti Principis peditum uxores ac familiæ confestim urbe egressuræ cursitant in foro spectante Kucsuk Passâ.

Suspicax veteratoris, quidve à Principe ac regno mereretur probe conscii animus hæc patienter ferre nequivit, quippe qui non discessum principis, sed ad Cæsareanos transfugium idipsum interpretando, extremum, quo dignissimus erat, sibi suisque exitium imminere crederet; Mittit quocirca cursim ad dictum Principem Olaj Begum Jeneiensem, quæ causa offensæ? cui ipse amicissimus semper extiterit, interrogat, nec priùs, nisi reditu post trium dierum moram Principis promisso (quod effectivè factum est) sedari potuit.

Respirante inter tot ardua regni negocia Ebestfalvini triduum Principe, intimus supremi Purpurati internuncius Sespurgum cum literis heri sui appulisse nunciatur; Qui à Kucsuk Passâ

toties dicto principi indesinenter insidiante, nulla eum tributi ad Ottomanicam portam mittendi solicitudine tangi, contraria quin potiùs aut meditari, aut moliri, persuasus, ad explorandas res Transylvanicas fidissimum suorum expediverat, isque literas ejus, per quem missus erat, principi Apafio exhibet, quarum continentia hæc est:

PRincipum Messiam colentium gloriosissime Michaël Apafi, diversas proximè præteritis diebus quamvis à te acceperimus literas, in nullis tamen earum tributi Portæ Ottomanicæ debiti mentionem te fecisse miramur, cum ejus administrandi tempus consuetum jam præteriisse constet; Beneficii quocirca à potentissimo Imperatore accepti memorem te esse, tributumque absque ullâ dilatione transmittere oportet; Quo præstito album, non variegatum te gerere vultum experientia testabitur, clementiæque potentissimi Imperatoris parti-

particeps ſemper futurus es; quippe qui nec fidelitatis, nec maleficii immemor eſſe ſolet. Vale.

SECTIO III.

PErlectis dictus Princeps literis, adhibitoque Conſiliariorum judicio, tributum quamvis regno impoſitum, (Purpurato Varadienſi, Germaniciſq; præſidiis potiorem ejus partem manutenentibus) ex illis, quibus præerat regionibus, haud integrum colligere potuiſſet, minimè tamen id, quod paratum erat, non adminiſtrare tutum cenſuit; expeditus quocirca cum eo legatus Joannes Daczo non Conſtantinopolim (ut aliàs moris erat) ſed ex mandato ſupremi Purpurati Albam Græcam verſus, quem laborum ſuorum ſortietur fructum, inferiùs intelliget lector.

Nec Barbarus interea bellum an pacem cum Imperatore Romanorum mallet, apud ſe certò concluſerat, circa ſi-

ca finem enim Aprilis ejuſdem anni, ad pacem cum Romanorum Imperatore renovandam, bellumq; in Dalmatiam contra Venetos transferendum pronior viſus, tormenta majora minoraq;, univerſum præterea apparatum bellicum cum Janizaris (peditum præcipuorum genus) Temeſvarino Albam Græcam verſus movere, illicque Savum (qui ponte junctus erat) trajicere jubet. Sequente autem menſe, nimirum Majo, iis omnibus Temeſvarinum cum Ali Paſsa denuò reflectentibus, non ſolùm Hungaria, ditioni Regis Hungariæ ſubjecta, verùm Tranſylvania quoque ſub Ottomanico gemens jugo (Ali Paſſam aliud in ore, aliud in corde ſemper volvere, ſuo malo gnara) quid & contra quos machinetur, non immeritò metuere poteſt. Menſe denuò Junio, tormenta reliquique belli apparatus Temeſvarino Albam Græcam viciſſim tranſvecti, illinc Eſzékum (eſt antiqua ſed ruinata civi-

çivitas Budam commeantibus obvia) aç consequenter Budā versus promoti.

Circa hæc tempora vicatim, imò domatim grassantium Kucsuk passæ militum petulantia servilem Transylvanorum patientiam adeò fatigavit, ut vel ii, qui inter regnicolas infimi habebantur, non catervatim quidem, sed privatim proprias meditarentur (imò attentarent) ulcisci injurias, quod partim veritatem clariùs exprimendi, partim lectoris ingenium hactenus nihil, nisi tristia legentis, ridiculo hoc diverticulo relaxandi gratiâ subjicere placuit: Siculorum (qui ex antiquâ Hungarorum prosapiâ, Scythis nimirum oriundi) primaria provincia (sedem ipsi nominant) Udvarhelyiensis nuncupata, inter plures, vicum quendam Gagy dictum habere visitur, qui inter convalles situs, certoque destitutus fluvio, fontibus quidem scaturientibus, sapore bonis, plus satis abundat, verùm adeò noxiis, ut quicunque à pueri-

tiâ iis

tiâ iis utuntur, strumis omnes infici soleant, quam naturæ deformitatem æquiùs tolleraveris, nisi ferme omnes mentibus capti, statuæ veriùs quàm homines à reliquis censeantur Transylvanis; vix religionis, vix necessitudinum humanarum congrua apud eos cognitio; Dominico quidam eorum die, à vicino, qui ipso paulò prudentior erat, campanæ sonitu in templum ad preces fundēdas vocari admonitus, (quisnam campanarum usus esset, sensum ejus excedente) sues à lupo infestatos grunnire, iis succurrendum esse respondit. Alter, nuptiarum ipsius die, dum finitâ jam cœnâ sponsam invisere ab Architriclino jussus esset, inter sanctum matrimonium, adulteriumque nullius discretionis gnarus, se nolle adulterium committere respondit, cuidamque mercenario id negocii consummandi facultatem concessit. Tertius, dum uxorem suam filium peperisse intellexisset, discinctus sine pileo in

viâ

viâ publicâ cursitando, qui filiũ suũ (jã natũ) procrearet, duodecim se grossis conduxisse gloriatus est, quæ tandiu in ingenio ejus perseveravit opinio, donec infelix ille pater (si is dicendus est) fato functus, filium qui vel hodie vivit superstitem relinqueret. Alter, damarum vitulorumque nullum agnoscens discrimen, dum par capreolorum inter segetes vidisset, rustici nonnullius vitulos esse ratus, versus vicum cogere, pro damnoque illato in curiâ propriâ aresto subjicere nisus est, quibus velocissimè fugâ elapsis, in congregatione reliquorum non sine murmure questus est, segetes quidem à nonnullorum vitulis obteri, eosque prima occasione è manibus suis esse elapsos, interim diligentia heri eorum nisi huic damno occurrat, donec vitulos istos suæ potestatis fecerit se minime quieturum. Alius verò autũnali tempore ad visendas segetes egressus, dum vulpem quæ ibidem muribus insidiabatur vidisset, domesti-

mesticum ratus esse molossum, ne damnum per canes segetibus suis inferrent in congregatione monuit oppidanos; paucosq; post dies iterum versus segetes suas exspatiatus visâ vulpeculâ, dum ea fugâ sibi consuluisset, furibundus in pagum regressus, quotquot in toto vico rubri coloris canes nancisci potuit, neci tradens, non ampliùs eos cujuspiam segetibus damna illaturos gloriatus est.

Restant plura alia, quæ prætereo. Ex præmissis, dicti Viculi Gagy incolæ quā sagaci polleant ingenio, mi lector, perspicere poteris; Memorabilis tamē non pridem inter eos contigit casus; Nonnulli enim Turcici equites, toties fatum ingressi pagum, reliqui aliorum, duo verò Judicis, cui nomen Joannes Dersi, adiêre pro hospitio domum, cujus uxorem unus eorum videns juvēculam, confestimque in eam exardescens, quo facinoris patrandi uberior suppeteret occasio, quædam victualia,

qualia ex proprio largiri non poterat, non ſine verberibus ac minis juſſit ex vico maritū adducere, qui foras egreſſus, celeriuſq; opinione regreſſus, dum in ipſo adulterio Turcam cum uxore deprehendiſſet, (nonnulla veſtigia virtutis vel in eo qui non ſatis ſapit, repræſentante naturâ) unico lanceæ ictu ambos pariter confodit; Cædes inulta manſit, ne mentionem quidem rei facientibus Turcis.

SECTIO IV.

LEgatus Joannes Daczo cum tributo ſuæ fidei commiſſo Temeſvarinum (ubi Ali Paſſa erat) per hos dies appulit, eâ quidem intentione, ut eodem obiter ſalutato Albam Græcam verſus iter continuaret, ſupremumq́ue Purpuratum, quem in dies obvium ſe habiturum credebat, adiret; Exceptus inſigni cum pompâ, cohortibuſque ſplendidiſſimè veſtitis obviam miſſis ab eo, conſimili ſequenti quoq́ue die ſolenni-

lennitate ad colloquiũ admiſſus, Turcico amictu donatur, de quantitate tandem ſummæ ipſius fidei commiſſæ interrogatus, magnam regni Tranſylvaniæ partem contra pacta deditionis Varadienſis à Purpurato ejuſdem fortalitii occupari, alteram à præſidiis Imperatoris Romanorum manuteneri ſignificans, ex reſiduâ, quæ Principi Apafio paret regni parte integrum ſe non potuiſſe adducere tributum, quinquaginta tamen Imperialium millia, adduxiſſe reſpondet. Modeſtis (quaſi) ad hæc reſpondens Ali Paſſa verbis, ſequenti die iter ſuſceptum continuaturo repetere hoſpitium jubet. Diſceditille ſpei bonæ plenus; Gabriel Haller etiam qui per integros octo menſes ſub ſpecie legationis ab eo ibi detinebatur, brevi in in patriam ſe rediturum perſuaſus exhilaratur; Verùm ſequente die luceſcente longè alium experti ſunt Ali Paſſam, ambo enim cum adire juſſi, non hilari (ut præcedenti die unus eo-

Joannes Daczo) excepti sunt ab eo vultu, quin potiùs austerioribus verbis, *cur integrum Princeps Apafius non transmisisset tributum? utrum in exitium suum & regni Turcarum Tartarorumque nationem provocare vellet?* interrogatur Gabriel Haller; qui per integros octo menses ibi se detentum, rerum Transylvanicarum statum exactiùs legato recentiori Joanni Daczo cognitum respondens, amovit à se hanc verborum contentionem; Consequẽter Joannes Daczo (& quidem non sine minis) interrogatus, dum defectûs istius præspecificatas rationes redderet, parvum abfuit, quin in vincula conjiceretur; Ut hac de re Principem Apafium informare, imminentiumq; nisi residuam tributi partem transmitteret periculorum præmonere liceret, vix demississimis obtinens precibus. Ad dictum itaq; Principem Michaël Csepregi cum legatorum literis remittitur, cui Ali Passa proprium adjungens homi-

hominem, per eum literas transmittit in hæc verba:

PRincipum Christianorum gloriosissime Michaël Apafi, prolixis tuam fidelitatem (tanquam filii nostri) coram potentissimo Imperatore commendantes verbis, quanta faciei nostræ inuritur ignominia, dum integrum (quod debebas) non transmisisti tributum? ipse perspicere potes. Utrum Transylvani calamitatum ac ruinarum, quas pervicaciâ sibi peperêre, jam obliti sunt? Imò scire lubet, utrum Tartaros, reliquosque potentissimi Imperatoris innumerabiles exercitus hostiliter terram ipsorum ingressos videre avent? Si his malis mederi vultis, residuam tributi partem citissimè transmittas necessarium est; Quod si integrum transmissum fuisset, me intercedente omnia pro voto vestro per legatos obtinere potuissetis. Vale.

Princeps Apafius regniq; Transyl-

vaniæ Status justissimas eorum excusationes à barbaro minimè admitti, inevitabile quin potius, nisi residuam tributi partem transmitterent, exitium imminere videntes, exhausto per Principes Rakocianos usque ad quadrantem nummi ærario, pecuniam mutuam sumendi, extremam in tantâ rerum extremitate coguntur ingredi viam, quicunque non saltem patriciorum, verùm Græcorum ac Turcarum quoq;, aliquam summam dederit, eximiæ quantitatis centum frusta salis, quæ triginta imperialibus vendi solebant, vigintiquinque imperialibus de facto ipsis daturos offerentes, repertique sunt ex Turcis plerique qui satis grandem expendentes summam, spacio duarum aut trium septimanarum nondum exacto, pro centum, centum viginti, pro mille imperialibus, mille & ducentos obtinuêre; Quo magis exhausti sumus, ut eo plus expendamus, ad hoc ipsum cogente crudelitate re-

te regentis; congestaque (non sine lacrymis) quæ jubebatur summa, per fidos homines Albam Græcam ubi legati substiterant, transmissa, verùm antequam supremo Purpurato administrari posset, suâ & aliorum opinione, ob intervenientes quosdam casus (ut inferiùs intelliget lector) celeriùs eum Budam versus gradum promovere necessitas compulit.

SECTIO V.

Circa finem Maji incalescente tempore æstivo Kucsuk passa Sesgurgo (ubi integram transegerat hyemem) secum sibi subjectis, ad loca fortalitiis quæ per Cæsareanos tenebantur viciniora transferens, ultra Marusium juxta vicum Kocsárd figit castra; Quo iter ingresso, certus eorum, quos ex colluvie Asiaticorum prædonum proprio alebat ære, militum numerus, tam diutini pertæsus ocii, Temesvarinum versus fugâ se proripit,

quorũ discessu Kucsuk cognito, Principem Apafium adiens, ut celeri expedito nuncio, angustiis itinerum, per quas iis exeundum esset, occupatis, universos neci tradi jubeat, per Deum obtestatur, universa eorum bona illis qui hoc effecturi essent, lubentissimè offerens; Annuit dictus Princeps, expeditoque cum literis quodam, dum provinciæ istius incolæ, quod multis anhelabant suspiriis, hoc ipsum juberi audiunt, multiplices (quas ab ipsis perpessi erant) injurias ulcisci occasionem divinitùs ipsis oblatam rati, lubentiùs quàm jussi erant, offerunt operam, occupatisque alpibus, quamvis animosè ab iis, qui evadere satagebant, pugnatum fuisset, nonnullique è numero Transylvanorum caderent, omnes tamen præter tres, qui tempestivè fugâ sibi consuluêre, ad Mahumetum Patriarcham eorum transmissi; Summas Principi Apafio præstiti hujus officii tunc gratias agente Kucsuk Passâ, verùm

rùm non ſatis prudenter ſuis hoc facto eum conſuluiſſe, conſequentiæ rerum teſtatæ ſunt, ſemel enim ad delendos clam ſecedentes Turcas exciti ruſtici, quamvis quieſcere juberentur, injuriarum tamen illatarum non immemores, dulcedine præterea prædę illecti, quoſcunq; Turcarum à reliquis ſejunctos, ob idque injuriæ oportunos nanciſci poterant, vitâ ſimul boniſque exuebant, cur potentiſſimi Imperatoris milites, in regno ejuſdem tam hoſtiliter tractentur multum quærente Kucsuk Paſsa, ipſiuſmet peſſimo conſilio excitos, per quos fierent eidem regerente Principe Apafio.

Iiſdem diebus è ditione Regis Hungariæ indeſinentes contra finitimas Turcarum arces excurſiones exercentibus Hungaris, potior exercitus Kucsuk Paſſæ pars, quæ ex eis educta erat, per Ali Paſſam ad eaſdem tutandas è Tranſylvania evocatur, quo dictus Kuçsuk Paſſa viſo, imparem ſe, ſi ab

Imperatoris invigilare soliti, per eosq; Purpuratis, Passis, Begis, deditiisque Ottomanicæ Portæ principibus, ac aliisque quibuslibet tam læta quàm adversa nunciare mos est) citato cursu cum muneribus lætoque nuncio appropinquare significat, ut pro dignitate mittentis, singulari cum solennitate excipiatur suadens; Per Gabrielem Haller ac Joannem Daczo legatos, perscriptus ejus adventus pariter eidē Principi, quos supremus Purpuratus, ac Ali Passa, (qui Albæ Græcæ conjuncti jam erant, dictosq; legatos Temesvarino illuc transmigrare jusserant) quamvis iter Kapucsi Passæ causamq; ejus latere nisi sint, intentos illi tamen ad procuranda regni negotia habentes oculos, omnia intellexêre, quæ regno pariter & Principi exitiosa prævidentes, adjecto quid in re tam ardua facto opus esset, (ut inferiùs patebit) consilio, per Cubicularium Principis Franciscum Fekete compendiose literis,

prolixiùs verbotenus significavêre.

Hoc itaq; toties fatus Princeps intellecto, celeribus expeditis tabellariis, Consiliarios (qui omnes absentes propriis occupabantur negociis) tanquam de rebus quibus regni exitium extremè agitari videretur tractaturos, ad se acciri jubet, verùm præter Joannem Betlen Cancellarium, Franciscum Keresztesi, Sigismundum Banfi, hunc Albensis, illum Tordensis, Comitatuum Comites, reliqui omnes, quidam eorum distantiam locorum, alii repentinos prætendentes morbos, se absentarunt.

SECTIO VI.

INtroductus singulari cum solennitate Albam Juliam Imperatoris Turcarum Kapucsi Passa, ejus, supremique purpurati literas Principi Apafio exhibet, binisque Turcicis, iisque versicoloribus stolis talos pertingentibus nomine Imperatoris sui eum donat, ut mandata literis prædictis inserta pro-

ta protinus effectuet, subjungens; Quarum utrarumque quoniam continentia fermè conformis erat, unas, supremi nimirum Purpurati inserere placuit in hæc verba;

MEssiæ Religionis cultor Princeps Transylvaniæ Michaël Apafi, officiosâ nostrâ salutatione præmissâ. Quoniam Germanorum natio rupto, quod cum gente Mussurmanorum pepigerat, fœdere, complura fortalitia Transylvanica, Germanicis munivit præsidiis, contra Canisam recentem à fundamento erexit arcem, in aliis quoque rebus infidelitatis se polluit labe, nos quoque divinâ favente clementiâ, unà cum exercitibus Potentissimi Imperatoris, qui in magna Anadolia, Rumellia, Samo, Halipo, aliisque compluribus regnis ac provinciis imperio ejus subjectis degunt, sex præterea generibus militum (hic ego trium peditum genera; Janizaros nimirùm qui omnibus reliquis

Ottomani exercitibus longè praeminent, jusque non tantùm Purpuratorum, verùm etiam Imperatoris ipsius vitæ ac necis sibimet usurpant; Szemenos, qui pro rerum ac temporũ occasionibus conduci exauctorariq; solent. Asappos, qui ex certis Asiaticis Europæisq; regionibus tempore bellorum mitti consuevêre; totidem prætereà equitum genera; Szpahias videlicet, qui Aulæ Imperatoriæ semper interesse menstruo ex ærario ejus ali stipendio, nullasq; possessiones aut prædia manutenere solent; ac Timmariotas, qui certas regiones possessionesq; obtinent, stipendio minimè accepto, ex iis se sustentant, pro iisq; belligerare tenentur; Huszaros, qui in arcibus hostibus finitimis degunt, eas protegunt, diurnumque accipiunt stipendium, intelligi puto) illatas ulturi injurias, nosmet moventes Albam Græcam appulimus; Cum itaque Vasallum potentissimi Imperatoris te esse constet, perlectis ejus mandatis, universis regni tibi commissi magnatibus, nobilibus, equitibus, peditibus,

tibus, ſcloppetariis, eorum ductoribus, quicunque ſub totâ juriſdictione tuâ inveniri poterunt, in certum abſque morâ convocatis locum, mandamus ut optimè inſtructus iteratum præſtoleris noſtrum mandatum, quo (ſi ita Deo viſum fuerit) ſuperveniente minimè vel quadrantem horæ moraturus, quocunque juſſum fuerit, abſque tergiverſatione cum tibi ſubjectis ire poſſis, Imperatoriæ hac de re ſunt tibi per Kapucsi Paſſam tranſmiſſæ literæ, binæ præterea ſtolæ, munera Imperatoria, quibus debitâ cum reverentiâ ſubmiſſioneque acceptis, cum proceribus, primatibus, equitibus, ſcloppetariis, eorumque generalibus ac aliis officialibus in unum congregatis locum, apertos oculos, erectaſque aures habeas oportet, ad mandatum, nutumque noſtrum, quò neceſſitas exiget, te cum tuis moturus. Deo res noſtras felicitante, illis qui hactenus Ottomanicæ Portæ fideles extitêre, felicior futurus. Reſidua tributi pars ſi per te

per te est transmissa, bene quidem, sin minus, per legatos trium nationum regni Transylvaniæ potentissimo Imperatori absque morâ transmittas oportet, Dum te iter suscipere jusserimus Kucsuk Memhet Passa, qui potentissimi Imperatoris fidelis servus est, Imperatoriumq; hac de re habet mandatum, individuus esto comes, cum eoq; nostra debes adire castra.

SECTIO VII.

PErlectis cum stupore Princeps Apafius literis, diversæ, eæq; magni momenti ob oculos ejus versabantur rerum difficultates; Kucsuk Memhet Passæ, cui supremus Purpuratus propter enormitates in Transylvania patratas non pridem mortem minatus erat, versâ præter spem rerum fortunâ, directioni (quasi) & regimini se subjici spectabat attonitus; Nec statu Transylvaniæ pacato, universas regni vires (& quod magis eum angebat contra

Chri-

Chriſtianos) dum educere jubebatur, quorſum, niſi ad exitium ejus ac totius regni hæ machinationes fierent, animo vix ſatis capere poterat. Legatorum quoque Gabrielis Haller ac Joannis Daczo, ne qualitercunque juſſus, totũ regni educeret robur, quin potiùs per literas, ac Kapucsi Paſſam muneribus emptum, honeſtis quibuſvis excuſationibus hoc ipſum declinaret iter, quibus (quod abſit) non ſuffragantibus, inviſentis potiùs quàm bellum gerentis modo, cum paucis magnatum, mediocrique comitivâ mandato imperio morem gereret, enixè ſuadentium opinio augebat ejus metum.

Habito itaq; eorum, quos è Conſiliariis Albam Juliam ingreſſos ſuperiùs ſcriptum conſilio, Imperatori Turcarum compendioſiùs, ſupremo verò Purpurato prolixiùs per eum reſcriptum in hæc verba:

Illu-

potentissimi Imperatoris milites lateri meo præsentes appello) accepi summam, congestamq; transmisi, ære alieno potiùs obrui, quàm potentissimi Imperatoris indignationem provocare præoptans, tam prompta mea, regniq; Transylvaniæ obsequia, vestrâ Illustrissimâ Dominatione intercedente, coram potentissimo Imperatore non ingrata fore, quin potiùs misericordiam me, meosq; obtenturum non ambigens.

Dum verò universos regni proceres, nobiles, ac totum (verbo) regni robur iterato mandato superveniente quo jussum fuerit ducturus, instructum tenere jubeor; Absit vel nutu mandato potentissimi Imperatoris (tam propriam quàm regni vitam, spes, ac omnia in manu sua Majestatis (post Deum) posita esse non ignarus) refragari præsumam; Imò in momenta paratus, vel cum decem aut viginti saltem personarum comitivâ, me abiturum spondeo: Interim ut regni diligengentia mea commissi tàm prosperos, quàm adversos status, contingentesque ejus difficulta-

die ibidem detinentur, pro obsidibus relictis dum per me pro dimittendis istis requisiti fuissent, nihil præter minas (nisi summam per Principem Rakocium promissam persolverem) obtinere potui; Ingẽti autem nuncii conflato exercitu sub alpibus adeò vicini hærent, ut unico Maramarosium die, (regni Transylvaniæ provinciam) facilimè invadere possint; Quo proposito ducantur ipsi norunt, interim nisi regnum periclitari malim, angustiæ itinerũ, per quas eis penetrandum esset, certâ armatorum manu custodiendæ sunt; Certa præterea fortalitia, tam civitates quàm arces habet potentissimus Imperator sub directione meâ, quæ nisi congruis muniantur præsidiis, facilè in extraneorum devenire poterunt potestatem, quod si contigerit, negligentiæ procul dubio meæ imputabitur. De his quantum ex reliquiis afflictissimi hujus regni (quod per integrum annum & ampliùs potentissimi Imperatoris exercitum gratuito commeatu alere cogitur) præstari potest, officii mei mune-

munere id exigente, diligentissimè providere res ipsa cogit.

Hæc itaque non à demandatâ expeditione memetipsum excusandi gratiâ, sed obsequio Ottomanicæ Portæ debito exigente significare debui, dum pauculis, qui è numero nobilium militumque regni hujus supersunt, ad tuitionem limitum, fortalitiorumque ordinatis, minùs instructū eduxero exercitum, regno, mihique ne noxæ imputetur, obsecrans; Interim vel saltem viginti aut triginta personarum comitivâ (pluribus non existentibus) quo jussum fuerit promptissimè me abiturum spondens. Dum propriam offero obedientiam (nisi viribus destituerer) aliis eo minùs parsurus; officii attamen mei est ita rebus Transylvanicis invigilare, ne per negligentiam aliquâ ingruente ruinâ, debitas socordiæ pœnas luere debeam.

Quærelas præterea jam aliquoties iteratas cogor denuò contra Purpuratū Varadiēsem per præsentes instituere, qui regiones ad arcem Varadiensem minime pertinentes vi ad deditionem cogens, tributum

ingens ab illis extorquet, nec unà cum reliquis Transylvaniæ provinciis consuetum potentissimo Imperatori tributum persolvere sinit, præterea cum præjudicio conditionum deditionis Varadiensis insigni, quæ juramentalibus Ali Passæ literis firmata erant, præsidiarii quoque oppidi Belinyes, terrore mortis ac depopulationum integrã tentant occupare Transylvaniæ regionem; A quibus in præsentiâ propriâ dum hæc tentari video, quid me absente molituri sint ipsi norunt. Quisve harum procellarum exitus futurus, in arcano solius Dei mysterio situm est.

Vestram quocirca Illustrissimam Dominationem demissè rogo, præmissis diligenter ruminatis, de relaxandis oneribus, medendisq; difficultatibus afflictissimi hujus regni coram potẽtissimo Imperatore intercedere ne gravetur, clementissimam eâ intercedẽte suæ Imperatoriæ Majestatis resolutionẽ obtenturos, tã ego quàm regnicolæ persuasi sumq, cui demississima cũ iisdẽ officia offerens, divinæ de cætero protectioni commendamus. Dat. Alb. J. 24. Jun.--63.

SECTIO VIII.

ADvocato princeps Apafius Kapucsi paſsa ad ipſum expedito, præinſertas ei exhibet literas, ut coram ſupremo purpurato cauſam præſentem ageret, multis obteſtans verbis; verùm ille, antequam cum toto regni robore ad iter bene inſtructum in caſtris viderit principem, (hoc ipſum in mandatis cum ſe habere ſciat) minimè vel pedem moturum reſpondet; ægrè tandem benè donatus ſequenti iter ſuſcipit die, cui ſuum dictus princeps adjungens hominem, Gabrielem Haller Johannemq; Daczo de toto certos reddit negotio, ut ipſi quoque pro virili huic obici mederentur admonens, quo fructu inferiùs patebit; Utrùm præ-recenſitæ regni difficultates à demandato abſolvant itinere, dubitans interim princeps Apafius, ne iterato ſuperveniente mandato, planè imparatus deprehendatur, ad generalem univerſi

regni

regni Status ut ſe accingant expeditionem, paratique dum juſſum fuerit ſe in caſtris ſiſtere poſſint, nonnullis præterea magnatum ac nobilium, ut in caſtra ſupremi Purpurati Principem Apafium comitaturi intra decimum diem congruo cum apparatu præſentes ſint, demandat.

Et illi quidem tepidè (quamvis non ſine fletu ac expoſtulationibus) parere videbantur, hi verò accepto eâ de re Principis mandato penè exanimes facti, quid dicerent aut facerent, penitùs ignorabant; Nonnulli itaque eorum paroxiſmis (quaſi) recentibus correpti, juſſum devitare nituntur iter; Alii ſimulatione qualibet ſepoſitâ, omnibus ſe bonis exui, quàm patriâ, familiaq; relictis, contra Chriſtianos cũ barbaro belligerare ſe malle apertè reſcripsêre.

Hærebat inter tot rerum labyrinthos Principis Apafii plus juſto lenis ac demiſſa natura, quippe qui ab eodẽ pla-

nè abhorrebat itinere, omnibus præterea (etiam si maximè Turcico parere vellet mandato) belligerandi, imò iter solùm usque ad castra supremi Purpurati distans, conficiendi destitueretur mediis.

Auxerant ejus ac regnicolarum metum supervenientes Principis Valachiæ Transalpineæ literæ, in quibus, ne Chami Tartarorum filium ac *Moldaviæ* Principem, qui cum valido exercitu confestim ipsum subsequentes, per Transylvaniam transituri sunt, præstoletur, verùm absque omni tergiversatione se movens, penetratis alpibus Transylvanicis Budam properet, seque cum ipso conjungat, supremi Purpurati ad se missum mandatum scribit, paribus literarum dicti Purpurati inclusivè transmissis, omnem in re dubitationem semoventibus. Nec eventus rei defuit, dictus enim Princeps Valachiæ Transalpinæ Georgius Dika cum quinque millibus equitum, sexcentisq; pediti-

ditibus ſe movens, Tranſylvaniæ alpes per paſſum Boza ſuperare cœpit. (menſe Julio). Cui quidam multis rebus exercitatus, ſagacique pollens ingenio Petrus Budai, quid in ſecreto Turcarum conſilio de hoc bello concluſum fuiſſet, expiſcaturus obviam expeditur, qui continuato per dies noctéſque itinere, mutatiſq; ad celeritatem jumentis, extra limites Tranſylvaniæ dicto Principi obvius, in ſecretumque ejus tentorium ductus, ne præter Principem Apafium, Joannemque Betlenium Cancellarium, ulli in Tranſylvaniâ mortalium rem aperiret, firmiſſimo juramento obſtringitur, eoque depoſito, hæc ad Principem per eum nunciata verba:

Multis verborum ambagibus in re maximè periculoſa moramque non patiente uti, cum incongruum cenſeam, Principi, meo nomine ſalutato, ſignifices; Per genitorem meum, qui juſſu Ottomanicæ Portæ Conſtantinopoli conti-

nuus degere cogitur, *significatum est mihi, eâ Principem Apafium, totiusque regni Transylvaniæ proceres intentione è proprio Turcas velle educere regno, ut eos unico manutenentes compendio, necique aut perpetuæ tradentes custodiæ, seu benè, seu malè expeditio contra Romanorum Imperatorem suscepta ipsis successerit, regnum capite protectoribusque destitutum facilè occupare possint, obtestor itaque eum per Deum, ne Turcarum se fidei committere præsumat, ficto potiùs se ex hoc periculo subducat morbo, nisi semet, Transylvaniam, nosque utriusque Valachiæ incolas in perpetuum perditos velit, nec proceres regni castra Turcica sequi compellat, consilium interim ipsi datum nisi in arcano reservet, extemplò de me actum esse nil dubitet*: Relata hæc per eum cujus fidei commissa erant Principi Apafio, (cum omnem captum auxiliumque humanum prærecensitæ superarent rerum difficultates) qualiter ipsum affecêre,

cère, lector per se conjectare potest.

SECTIO IX.

NE interim Kucsuk Passa quoque calamitates nostras augere prætermitteret, ut universos regni Status Princeps Apafius ad prædictum iter se moturus convocare jubeat, severè, nec sine minis, urget; Chami Præcopitarum Tartarorum Principis filium, cum quinquaginta millibus selectissimorum militum, quadragintaque tormentis prægrandibus ad expugnationem Claudiopolis iter ingressum, conjunctumque cum exercitibus utriusq; Valachiæ, qui quadraginta millium numerum æquaturi sunt, propediem superventurum impudentissimè mentitur; Cum Tartaros, qui solâ velocitate reliquis nationibus terrori esse solent, tormenta prægrandia secum vehere, obsidionesque fortaliciorum (rerum talium rudes) moliri contra omnem rationem esse, cœcus sit qui non

videat. Numerum etiam Tartarorum iisq; adjunctorum Valachorum in immensum falsò augebat; Quippe Tartari vix decem millium numerum excedebant, utriusq; Valachiæ Principibus ne parem quidem secum ducentibus exercitum.

Jubebat insuper mandata Principem Apafium ad Commendantes fortalitiorum præsidiis Imperatoris Romanorum munitorum, nisi tam potente hoste imminente perire velint, ut confestim regno excedant, scribere; Verùm tam apertè mentienti dictus Princeps assentiri erubuit.

Per eosdem dies legati Principis Apafii Albæ Græcæ apud supremum Purpuratum commorantes, dictum Purpuratum suâ & aliorum opinione celeriùs Budam versus cum universis Imperatoris Turcarum exercitibus in succursum Huszaim Passæ (qui non pridē Purpuratus Budensis creatus, castra juxta Budam in aperto campo figens,

ab

ab Hungaris, Regi Hungariæ ſubjectis, particulari ſtrage affectus fuerat) properaſſe, ipſoſque Albæ Græcæ relictos, perſcripsêre Principi ac regnicolis. Quod Chriſtianorũ facinus, per quos, quibus mediis, quantaque clade hoſtium patratum ſit, iis, qui intereſſati fuêre perſcribenda relinquo; Orandus interim miſericors Deus, ut primitias iſtas victoriæ Chriſtianorum ad maturum tandem perducat triumphum, interque tot blandientis fortunæ ſucceſſus elatum barbarum potenti dexterâ confringat.

Quantopere Princeps Apafius, regnicolæque à barbaro coarctarentur, in bellumq; contra Chriſtianos cogerentur, non latebat interea fortalitiorum Germânicis præſidiis munitorum Commendantes, qui procul dubio juſſu ſuperiorum talia in regno promulgavêre manifeſta:

C*Elſisſimus Princeps Tranſylvaniæ*, (titulus) *Dominus Dominus Mi-*

 chael

chaël Apafi per edictum Turcarum sub ficto prætextu, tanquam Sacratissima Cæsarea Romanorum Majestas Dominus meus clementissimus factam inter ipsos confederationem diffregerit (citra ullum dubium coactivè) insurrectionem in regno Transylvaniæ per speciale mandatum injunxit, ut nobiles unà cum plebe in subsidium Turcarum ad bellum se pararent, & consurgerent. Notum autem est omnibus & singulis quantam præfata Sacratissima sua Majestas per hos annorum cursus curam gesserit, regnum illud, ejusdemque libertates & jura conservandi. Eapropter tot tantosque sumptus hucusque præstitit, & adhuc præstat, dum numerosum exercitum cum gravissimâ & copiosissimâ sustentatione in nullum alium finem has versus partes introduci fecerit, quam ut per amicam conventionem prænominatum regnum tranquillitate gaudere, & ejusdem immunitates protegi possent; Super quo negotio tractata compositio-

nis

nis etiamnum continuantur; Evidenter autem apparet, quòd Turcæ & regni libertates tollere, & idem suo jugo barbarico subdere studeant. Proinde omnibus & singulis regni Transylvaniæ Magnatibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, plebeis, supremis Capitaneis, ac Judicibus Regiis Siculorum, primoribus, potioribus, primipilis, pixidariis, toti denique universitati Siculorum, item nationi etiam Saxonicæ benè consulendo proponitur, seriò deliberent, quàm irreparabile damnum illismetipsis ex hoc edicto obventurum sit; Ideoque ad hoc Celsissimi Principis (verè non aliter sine veritatis errore) coactivè expressum mandatum non insurgant, nec moveant, & horum obedientiæ se non subjugent, verum vigore Armistitii domi suæ permaneant. Secus si facturi sunt, & quidem contra in eosdem positam confidentiam se hostes apertos monstraverint, causa dabitur loco laboriosissimæ quæsitæ protectionis, contra illos similiter agendi, &

perſequendi, quæ omnia omnibus & ſingulis ad cujusvis notitiam ſignificare volui, ſibi de damno præcaventes. Datum in Szamoſujvar die quinta Julii, Anno 1663.

Suæ Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtatis Vice Colonellus Supremus Cõmendans in arce Szamoſujvar & Betlen,

SECTIO X.

NEc Romanorum Imperator ſubdolo pacis tractatu ad bellum ſe accingendi tempus ſibi velle barbarum eripere ignorabat, requiſiti quocirca univerſi per eum contra elatum hoſtem Europæi Reges ac Principes, de quorum aſſenſu, ſubſidiis, alioque apparatu ii qui viciniores, rerumque oculati teſtes procul dubio ſcripturi ſunt, ego res Tranſylvanicas, connexioneque rerum hoc ipſum nonnunquam exigente, Hungaricas verbo complecti decrevi; Univerſis quocirca Hun-

Hungariæ proceribus ac Statibus, per Sacratissimam Romanorum Imperatoriam Regiamque Majestatem, patentes publicatæ sunt in hæc verba:

LEOPOLDUS, &c.

MAgnifici, &c. Innotuisse fidelitatibus vestris non ambigimus, quanto studio & conatu laboraverimus, ut post acceptam ab hostibus Christiani nominis cladem & expugnatum fortissimum propugnaculum, aliaq; in partibus Transylvaniæ fortalitia & præsidia intercepta, junctis cum aliis Christianæ Reipublicæ Regibus & Principibus armis & viribus, feroci conatui inimicorum, non modo obviam ire, & per summam injuriam adempta recuperare, verùm & nosmet & Christianum nomen vindicare, crescentemq; & auctam in dies Ottomanicam potentiam retundere & enervare possemus.

Verùm cum saluberrimo huic instituto, qua propter discordias & bella inter Principes Christianos, qua alia intervenientia

gravissima impedimenta optatus eventus minime respondisset, Deo ex occultis suis consiliis permittente, applicuimus animũ, media, ac modos adhibere, quibus gliscentem & grassantem adversariorum furorem, si reprimi nequiret, placare, placidisq́; mediis regnum vel maximè hoc nostrum conservare, & quietum ac tranquillum reddere niteremur: Et jam eo usq́; ventum erat, ut honestæ pacis conditiones per Turcas admissæ, & ab utraq́; parte acceptatæ, quin etiam ab ipso Turcarum Imperatore approbatæ spem nobis indubiam facerent induciæ pacis.

Cum ex insperato & repentè primus Vezirius, atq́; adeò Porta ipsa, omnes hactenus initos tractatus, & conclusos irritos esse declaravit, & quicquid eousq́; accordatũ fuerat rescidit, & cassavit, nobisq́; arma & bellum indixit. Interim dum pax tractaretur præparato valido & numeroso exercitu, movit, & jam Belgrado, sive Albæ Græcæ appropinquavit. Cujus inexpectata hostilitatis invocato Divino numine &

ne & auxilio, magno animo ac in Deum fiduciâ resistere, & Christianam Rempublicam, signanter autem regnum hoc nostrum Hungariæ, propugnaculũ ejusdem, nobisq; cumprimis charum tutari decrevimus, pro quo & majores nostri, & prædecessores, avi, atavique, tot myriades, tantam expensarũ molem, gazas, & thesauros erogare, tantum sanguinis Christiani profundere non dubitarunt. Quibus uti in dignitate & Imperiali fastigio, non modo carne & sanguine successimus, ita laudatissimis eorum vestigiis insistendo, omnia prorsus possibilia adhibituri sumus, adhibemusque de facto media, quibus hostium viribus & conatui contraire, paresque & justas, si non validiores, opponere vires possimus, signanter autem Sacrum Romanum Imperium assistentiam suam præbere, validiaque auxilia, belliquesumptus & arma nobis suppeditare recenter deliberavit. Requisivimus & alios Principes, de quibus benè speramus, ipsos quantũ possibile erit defensioni Christianitatis non defuturos; Siquidem autem regnum ho-

nostrum Hungariæ, primum est in periculo & proximum, vicinumq; Turcarum imperii & furori, quod regnum nostrum & natio, à ducentis jam & amplius annis, summâ virtute, cum naturalibus istis hostibus, pro suâ & Christianitatis propugnatione colluctatur, & nunquam parcere dubitavit sangvini & vitæ, pro conservatione & defensione patriæ charissimæ, sed laudabili & alacri non in universa duntaxat Christianitate, verùm etiam apud hostes deprædicato animo, generositate & virtute sese opposuit, non solùm quando florentibus adhuc rebus, & integris viribus vigeret, verùm etiam fractis ac debilitatis, ademptisq; regni partibus, nihil omisit eorum, quæ avitam & Martialem à majoribus acceptam virtutem ac fortitudinem decerent, ita ipsos nunc quoque pro dulcissimâ patriâ, proq; aris & focis, pro liberis & conjugibus, atq; adeò vitâ propriâ ac libertate præstituros, omniaq; possibilia media & supremos conatus adhibituros non ambigimus.

Quare omnibus & singulis regni hujus

nostri Hungariæ, partiumq; eidem annexarum fidelibus nostris, Statibus & ordinibus, cumprimis autem vobis ac reliquis Comitatibus, generalem seu personalem insurrectionem in Articulis regni, sive legibus decretam, nominatim verò continentias Articuli Quinti proximæ Diætæ, & reliquorum ibidem citatorum indicimus & promulgamus, serioque ac firmiter sub pœnis in eisdem contentis & expressis, injungimus & mandamus, ut omnes & singuli è Statibus, prout citatæ continent leges, propriâ in personâ comparere, cum apparatu ibidem expresso debeatis & teneamini. Lustrationesque vestras instituere, & habere properetis & acceleretis, ita ut ad festum divi Ladislai Regis Hungariæ parati esse possitis. Quibus lustrationibus peractis, nos desuper illicò informare, ab ulterioriq; benignâ nostrâ eatenus fiendâ dispositione ac ordinatione præstolari, & conatus vestros eò dirigere velitis, ne fortè adventum totius roboris præveniendo, in partes quasdam ac regiones vestras irruptiones dãnosas & pe-

riculosas facere, ac in vos non satis provisos idem hostis ferro flammaq́ grassari valeat, remedia adhibere, remota omni mora ac dilatione studeatis. Securi de nostro syncero & plus quàm paterno affectu & animo, quibus inducti, nihil planè eorum, quæ quidem possibilia sunt, aut erunt, pro conservatione ac vestrum omnium defensione, florentiq́ ac prospero statu, assumere prætermissuri sumus. Quem etiam in finum militem Hungaricum ac nationem, majore quo possit numero actutum conduci, & stipendiis nostris interteneri jussimus ac seriò demandamus.

Porro in prædicta hac insurrectione vestra, mutuam cum fidele nostro, nobis syncerè dilecto Comite, regni hujus nostri Hungariæ Palatino intelligentiam, cum directione ejusdem, juxta leges superinde sancitas, habeatis, benignè annuimus. Quod ipsum per speciales literas nostras eidem clementer significavimus ac detulimus. Aderit conatibus nostris justus Deus, & fidei ac federis violatores præpotenti manu suâ humiliabit, & meritæ subjici-

et pœnis. Secus non facturis gratiâ nostrâ Cæsareâ & Regiâ vobis in reliquo clementer propensi manemus. Datum in civitate nostrâ Viennâ, 7. Junii, Anno 1663.

Excutite ô tandem ex oculis veternum gloriosissimę olim nationis nostrę reliquiæ! seponite rixas & contentiones, cesset Politicus Clero, Catholicus Reformato invidere, nostro proprioq; malo edocti, communi communibus resistite armis, aliàs (utinam falsus sim vates) dum ambitione præcipites, vix parem inter vosmet plerique ferre vultis, aut sub prætextu religionis alii alios persequimini, religionis simul regionisque jacturam vos facturos experiemini. Sed ad propositum, unde contẽplatio publici boni rapuerat, redeo.

SECTIO XI.

PRæter propriam & aliorum opinionem, (ut superiùs scriptum) residuæ tributi Transylvanici partis non expectans supremus Purpuratus administra-

niſtrationem, Gabriele Haller, recentioreque regni Statuum legato Joanne Daczo Albæ Græcæ relictis, cum immensâ ſuorum mole, quorum numerus ducenta millia excedere ferebatur, Eſzékum verſus ſe movens, Dravum fluviũ ponte erecto tranſire maturat, cui intentus, ad Gabrielem Haller accerſendum duos è ſuis Csauziis celeri curſu Albam Græcam remittit; Audit inter ſpem mortiſque metum dubius vocantiũ ille verba; Joanneq; Daczo recentiore legato ibidẽ relicto, ſupremũ purpuratum in prædicto aſſequitur loco, à quo inſigni cum pompâ admiſſus, ſtolaque Turcicâ donatus, eidem pari (quaſi) honoris gradu aſſidere jubetur, colloquioq; per horam & ulteriùs familiari habito, inter reliqua bono illeſanimo Gabrielem Haller eſſe, apertaſque quandocunque ipſum adire voluerit fores ejus futuras dicens, plenum bonæ ſpei in tentorium ſibi erectum dimittit. Joannem quoq; Daczo conſequen-

ſequenter accerſitum, tributum Tranſylvanicum per eum adminiſtratum ſupremi Theſaurarii (Teftedar ipſis dicti) ſigillo obſignatum, Hadrianopolim ad Imperatorem Turcarum tranſmittit. Tam ſolennis Gabrielis Haller exceptio, inſperatuſque favor, ſuſpicionem nonnullis injecit; Principe Apafio (qui per Kucsuk Paſſam, aut fictis, aut veriſimilibus indeſinenter traducebatur criminibus) degradato, ſupremum Purpuratum (dicto Gabriele inſcio, vel veriùs conſcio, ii qui exactiùs norunt judicent) eum velle in principatu ſubſtituere; Qua in re nonnullorum, qui in aulâ ſupremi Purpurati intimi, alienam à Principe Apafio ejus mentem referentium verba augebant metum ac ſuſpicionem, promiſſis itaque ſat luculentis Joannes Daczo recentior legatus præcipuos eorum aggreditur, per eoſque flexo in gratiam (ut apparebat) ſupremi Purpurati animo, ad ſecundariam admiſſus audientiam,

tiam, familiariùs quàm aliàs, excipitur; Quærit ab eo Purpuratus, utrum aliqui in regno Transylvaniæ, vitæ vel honori Principis insidiantes existant, quibus resistendi destituerentur dictus Princeps mediis?

Non existere talem pervicacem ipso gnaro, respondet legatus Daczo. Quã Purpurati quæstionem, synceræ erga Principem Apafium affectionis indicium licet nonnulli autument, exitium attamen successu temporis multis nostrûm, qui in afflictissimo hoc regno reliquis pauxillum præeminere videmur præstrui crediderim, quippe quoscunq; inter nos oculatiores, antiquæque libertatis amantiores intellexerit, fictis sub coloribus ad dicendam corã se causam evocatos, neci aut custodiæ tradere poterit; quod Deus avertat. Tandem Gabriele Haller solo apud se toties fatus Purpuratus manere jusso, Joannem Daczo ad Principem Apafium remittens, literas per eum transmittit,

mittit, quarum continentia hæc erat:

MEssiæ religionis cultor Princeps Michaël Apafi, salutem precamur. Residua tributi pars, literæq; tuæ eidem adjunctæ, juxta civitatem Eszék sunt nobis redditæ; Quibus intellectis, approbantesque factum tuum, album perspicimus te habere vultum, deinceps quoque fidelem te futurum sperantes. Continuum tuum Oratorem, recens ad nos missum (adjuncto ipsi fideli nostro officiali Aga) una cum tributo ad potentissimum Imperatorem expedivimus; quo Hadrianopolim appellente, alter qui Constantinopoli nunc degit, in Transylvaniam redire poterit. Deo nos secundante, 29. Junii, Anni præsentis, unà cum numerosissimis potentissimi Imperatoris exercitibus, tormentorumq; sufficienti apparatu, Dravam transeuntes, destinatum continuamus iter. Mi amice, Domini mei clementissimi clientem te esse, regnoque ejus

ejus Tranſylvaniæ (quòd optimum non abs re cenſeri debet) præpoſitum conſideres, ſi fidem cum ſynceritate colueris, Gabrielem Betlenium, reliquoſq; Tranſylvaniæ Principes, obſequio Ottomanicæ Portæ illuſtres, pro exemplo ob oculos ponas, longè majora quàm ipſi obtinuerant præmia accepturus. Potentiſſimi Imperatoris exercitibus adjungi oportet copias Tranſylvanicas hoc anno præſenti, quod ad oſtentandam fidelitatem tuam plurimum intereſt. Exercitus itaque tuos inſtructos teneas, quod per nos juſſum fuerit facturus, Deo nos benedicente, à potentiſſimo Imperatore, meque, digna virtutis obtenturus brabeja. Petitiones tuas juſtiſſimas eſſe conſtat, confecto hoc noſtro itinere, ſupra votum tuum omnia feliciſſimè ſucceſſura experieris. Vale.

SECTIO XII.

JAm alpibus Tranſylvaniæ per paſſum (ut præmiſſum) Boza penetratis,

tis, Valachiæ Tranſalpinæ princeps, provinciam Barcza, conſequenter diſtrictum Fogaraſienſem tranſiens, Cibinio cum ſuis appropinquabat, dum princeps Apafius, qui relictâ pridem Albâ Juliâ caſtra juxta oppidum Alvincz, cum Kucsuk paſſâ conjuncta per complures dies habuerat, ſeu adverſa (ut ferebatur) correptus valetudine, ſeu Turcarum Tartarorúmque qui Tranſalpinæ principem breviſ ſubſequuturi credebātur, inſidias honeſto prætexere ſtudens prætextu, civitatem Száſzſebes, unico à caſtris diſtantem milliari, cum aulicorum cohorte intrat, exercitum quem ſecum habebat extra murum in ripâ fluvii cujuſdam collocans, illincque ulteriùs progreſſus Cibinium ſe cum ſuis recipit.

Principis verò præcopitarum filius cum decem circiter Tartarorum ſelectiſſimorum millibus, Moldaviæque palatinus, cum mille peditibus, ac tribus equitum Valachorum millibus eodem

dem ſubſequẽtes itinere, captivos quidem (ut hactenus apud me conſtat) nullos ferme abduxerunt, verùm cum mole exercitûs Cibinium verſus ſenſim procedentes, longè lateq; tanquam in hoſtico populationes per regiones itineri eorum vicinas exercent, ne à cædibus quidem eorũ qui ſua eripi recuſantes reſiſtere nitebantur temperantes. Longè diſpar Valachiæ Tranſalpinæ Principis in itinere diſciplina, quippe qui ſupra multorum opinionem ne ſegetibus quidem ulla per ſuos intulit damna, eo minus excurſiones & populationes fieri permiſit, iteratis quin potiùs in præſentiâ Commiſſarii Petri Budai, non ſine angore animi ait vicibus, ſe quidem obtorto contra Chriſtianos collo in bellum compelli, nunquam tamen ſua ſuorumque arma, etiam ſi capite plectatur, Chriſtianis noxæ fore, imò libentiſſimè, ſaltem Chriſtianis victoriam Deus largiatur, in eodem bello ſe per Turcas cæſum, victi-

ma pro Christianis futurum.

Isdem unico ab urbe Cibiniensi milliari castra figens, salutatum per nonnullos suorum, Principem Apafium, ut duos è Consiliariis, Stephanum nimirum Petkium, ac Georgium Kapium ad se transmittat, enixè rogat. Cui dictus Princeps assentiens, expeditisque qui rogabantur iis; postquam de crudeli ad totiusque Christianitatis exitium obstinato Turcarum animo multa præfatus fuisset, tandem ad evitandas, quas Præcopitarum Principis filius, ac Kucsuk Passa Principi Apafio (ut ipse asserebat) molirentur, insidias, ut Cibinio clam deserto fugâ sibi consulens Gôrgenyinum, ac illinc Claudiopolim (urbem præsidio suæ Majestatis munitam) se conferat, nec in fidelitate Cibiniensium, qui vinctum eum Turcis tradituri sunt, spem ullam collocet, suadet; Utrum salubre suum consilium approbaturus sit, nec ne, ut Georgius Kapi alter Consiliariorum ad se misso-

rum denuò rediens significet, subnectens. Reportant Cibinium quod per ipsos nunciatum erat, dicti Consiliarii, verùm Princeps Apafius nihil se contra Ottomanicam portam deliquisse, plus justo quin potiùs obsequentem fuisse dicens, interdum de synceritate quoque suadentis nonnihil dubitans parere renuit; Principiq; Valachiæ Transalpinæ per Georgium Kapi alienum ab eadem re animum suum aperuit; Qui eo proposito non succedente Cibinium præteriens, juxta civitatem Szászsebes dictam, Kucsuk Memhet Passam, filium Principis Præcopitarum salutare volentem obvium habuit, quocũ quid de Principe Apafio, rebusque Transylvanicis tractaverit, ipse novit, non syncerè tamen ipsum Christianitati satisfecisse, non mediocris (ut inferiùs patebit) orta suspicio.

SECTIO XIII.

TErtio post discessum Principis Transalpinæ die, Præcopitarum Prin-

Principis quoq; filius Cibinium juxta castra figit, qui ex prosapiâ Imperatoris Turcarũ se esse jactans, Principẽ Apafium tanquam suũ subditum se debere adire ait iis, qui à dicto Principe ad salutandum ipsum fuerant expediti, sed ii gravissimo dictumPrincipem morbo detineri dicentes, tam ipsum quàm suorum primores muneribus delinivêre, satisque sedatus illinc discedens juxta civitatem Szászsebes Kucsuk Memhet Passæ, ac Valachiæ Transalpinæ Principi conjungitur. Per integrum biduum hîc secretum de nobis (ut circumstantiæ rerum testantur) initum est consilium, tertioq; die OlajBegus Gyulaiensis Hungaricæ peritissimus linguæ Cibinium ad Principem Apafium per eos expeditur, qui staturâ semigigas in præsentiâ Consiliariorum ingenti cum clamore, qui vel in tertio hypocausto punctatim intelligi poterat, ita Principem Apafium alloquitur.

Potentissimi Tartarorum Præcopi-

tarum Principis filius, unà cum Kucsuk Memhet Passa optant; Cur juxta mandatum Potentissimi Imperatoris totius regni Transylvaniæ exercitus, ad bellum instructos non habes, quin potiùs in hanc te recepisti civitatem, ut rationem reddas, cum iisque quos tecum præsentes habes, confestim ad iter temet moveas, mecum eos absque ullâ morâ & tergiversatione sequuturus nec rem parvi momenti, aut jubentem facilè contemnendum putes, cum supremi Tartarorum Chami filius, eadem qua genitor ipsius polleat authoritate, quemq; rejiciens Potentissimum Turcarum Imperatorem contemptum quilibet facilè perspiciet. Hærebat hic cunctorum animus, in reque tam exitiosâ, nec consilium, nec vox suppetebat; Tandem suppresso metu Princeps Apafius dicto Olaj Bego respondet in hæc verba:

Potentissimi Præcopitarum Principis filium, eâ quâ par reverentiâ nostro

nomi-

nomine salutato, quem (nisi morbo præpediti fuissemus) in personâ adire, demississimeque salutare non prætermisissemus; Exercitum Transylvanicum (omnibus ad familias resque suas tutandas dilapsis) propter metum Tartaricarum copiarum non possumus habere præsentes, penetratis interim ad exteras regiones Tartaris, unà cum regnicolis Kucsuk Memhet Passæ conjuncti, officio nostro non deerimus, à supremo Purpurato, quid agendũ nobis sit, ordinantiam de toto negotio præstolantes. Ipsoq; donis conciliato, proprium adjungens hominem, per eũ ac literas Kucsuk Passam, ut corã Præcopitarum principis filio causam suam ageret, suspicionemque contra se conceptam eluere niteretur enixè rogat, qui ingentium spe præmiorum inductus, in præsentiâ hominis per Principem Apafium missi, multis dictum principem coram Præcopita excusans verbis, tandem ille Claudiopolim, ac

illinc Hungariam versus se movens, nos in eo, quo hodie fluctuamus, reliquit statu; Kucsuk Passa autem remisso Principis Apafii internuncio, cum juramento (utrum vero DEUS novit) nunciavit ei, per Principem Valachiæ Transalpinæ accusatum ipsum coram Præcopita crimine proditionis, eoque instigante commotum (qui non pridem delinitus erat) denuò contra toties dictum Principem, Præcopitarum Principis filium; Quamvis non ab ipso quidem Principe, (qui Turcico Imperio plus justo in omnibus obsequentissimus erat) sed civitatis Coronensis Judice civibusque satis jam antea se offensum putabat, cujus ultionem, Budam versus ex mandato supremi Purpurati properantem in aliud tempus necessitas differre coëgit, quod cum magni (sed mali) momenti credam, inserere volui:

Ingresso limites Transylvaniæ cum sibi subjectis Præcopitarum Principis filio,

filio, tam honoris exhibendi quàm victualia administrandi gratiâ nobilis quidam Petrus Budai Commissarius ipsi obviam missus, dum in Confiniis civitatis Coronensis (Brasso) eum salutasset, duos è primoribus Tartarorum ipsius adjungens, Coronam cum certis expedit mandatis, qui vix suburbia civitatis ingressi, antequam Judicem adire, quave de re missi fuissent exponere possent, à civibus benè (vel veriùs malè) potis, inhumanè excepti, unus Tartarorum frustatim concisus excoriatur, alter vulneratus evadit, Commissarius verò Petrus Budai, per complures dies aresto detentus, ægrè libertatem obtinuit; Cujus facti utinam tota Transylvania non luat pœnas, cum nunquam se ejus memoriam animo depositurum, confectoq; suscepto itinere in districtu Coronensi hybernaturum, centies & ampliùs juraverit præcopitarum Principis filius. Ego talibus enormitatibus viam ad exitium

noſtrum crediderim præſtruere fata.

SECTIO XIV.

TArtaris Valachiſque in Hungariam (ut præmiſſum) penetratis, Cibinii morantem Principem Apafium per literas ac nuncium certificat Kucsuk Paſſa, quoniam ſuorum ſparſim negotiis propriis occupatorum in Tranſylvaniâ iter non ſatis eſſe tutum multorum nece compertum habeat, eoſdemq; rebus ad quotidianum uſum neceſſariis, quæ in civitatibus emi ſolent, plurimum indigere conſtet, difficultatis iſtius medendi gratiâ Cibinium juxta ſe locaturum caſtra, quod propoſitum ſuum, ne aliquid Princeps aut Cibinienſes mali ſubeſſe putarent, ſe ſignificare decreviſſe.

Improbat quidem, ſed refragari vix præſumens, rem Princeps Apafius, officiales autem civitatis Cibinienſis, Judex nimirum Regius, ac Conſul penè exanimes facti, vixque lacrymas continen-

tinentes, adito Principe, ne in viciniam urbis Kucsuk Passam cum suis transire pateretur, qui in propinquo siti, indesinenter procul dubio urbem ingredi volentes, à civibus, vel renitentibus ipsis rejiciendi forent, per Deum obtestantur, alioquin adeò alienos à Turcarum admissione civium animos, qui vitam priùs amissuri, quàm eos admissuri essent significantes; Nec mirum: præter recensitas enim ac malo usu in regno suetas Kucsuk Passæ enormitates, terrebat eos recens in civitate Szászsebes per ipsum patratum facinus, à cujus incolis ante sex dies admissus, superveniente cum suis Præcopitarum Principis filio, nequissimus alienarum rerum dispensator, currus, jumenta universaque dictæ civitatis frumenta, victualiaque Tartaris largitus, omnibus iis afflictissimos cives emungens, ad extremam redegerat pauperiem.

Quamvis itaque munimento urbis

ſatis validæ tuti, Cibinienſes violentam ejus irruptionem minimè formidarent, ne interim non admiſſus ſegetibus, quę jam maturę erant, damna inferens commeatu deſtituerentur, lentæque (quaſi) obſidionis illud initium fieret, non abs re verebantur.

Solatur modeſtiſſimis eos verbis princeps Apafius, obviam Kucsuk Paſſæ ſe iturum, nec in viciniam urbis admiſſurum promittens. Motis interim à civitate Száſzſebes Kucsuk Paſſa ſuis, juxta oppidum Szeredahely, quod tribus Cibinio diſtat milliaribus, figit caſtra, Cibinienſium animis pejora in horas ſibi ominantibus; Quem ibi morantem Supremi Purpurati Kapucsi Paſſa cum literis ejuſdem adiens, ut cum ſ... Tranſylvania confeſtim egreſſus, Váradinum properet, ibiq; contra k... norum Imperatoris, confœderato... que ejus exercitus intentos habe..t oculos, demandat. Vulgari priùs rumore, mox per literas Kucsuk

Paſſæ

passæ significatur Principi Apafio demandatum ejus iter.

Exhilarantur Cibinienses; consequenter, ad quas faustus ille rumor penetrare poterat vicinæ provinciæ, comportantur ad avehenda ejus impedimenta currus; Princeps quoque Apafius ultimum Vale ipsi dicturus, Cibinio egressus adit eum, humanissimeque (præter naturam) exceptus, summas pro beneficiis, quæ reverà non pauca acceperat, agit dicto Principi gratias, convivioq; inter se celebrato, hic Cibinium, ille Varadinum versus digrediuntur.

Verba eadem die (forsitan non spernenda) per Olaj Begum Gyulaiensem prolata inserere placuit, qui Joanne Toldalagi ac Francisco Fekete, Cubiculariis Principis in secretum deductis ita fatus est: *Multis Principis aliorumque complurium beneficiis devinctus, hoc vobis consilium à me datum sciatis: Dissensiones per complures annos conti-*

nuatas seponite, manete quieti, nec contra quempiam auxilia nostra imploretis, si enim in succursum vestrum denuò ingredi compellemur, nunquam nos Transylvaniâ egressuros juro per Deum omnipotentem.

Dictus supremi Purpurati Kapucsi Passa Cibinium cum Principe Apafio ingressus, eidem quoq; literas hæri sui exhibet, quas antequam insertas mi lector perlegeris, præmonitum te velim, dum quasdam verborum tautologias, insuetosq; & veritatem excedentes titulos videris, non à mè additos, sed verbotenus ita scriptos scias, cum præter nudam & verissimam rerum descriptionem nihil in animo habeam; Literæ autem jam dictæ, hujus erant tenoris:

Qui in toto Hungariæ regno degunt, magnatum procerumque domine; omnium Christianorum præeminentissime, mitissime, eorumque realis Domine, qui ex annuentia Potentissimi Imperato-

peratoris, toti nationi Hungaricæ praes, iisq; prædominaris, regnaque complura moderaris, Princeps Michaël Apafi, Deus actus tuos, ingressum, egressumque secundet. Ex intimo cordis affectu saluto te, salutationeque præmissâ, cum singularem in te confidentiam habeam, tanquam amicus amico significare volo, Deo auspice cũ innumerabilibus potentissimi Imperatoris exercitibus 24. Mensis præteriti Budâ me movisse, recentique juxta Strigonium super Danubium ponte erecto trajecisse, arcem Archienopolitanam (ErsekUjvár) à me esse obsessam scias eo me negotio distineri.

Kucsuk Passam cum suis Transylvaniâ egredi, Varadinumque juxta, pro speculâ residere oportet, milites potentissimi Imperatoris, qui in confiniis degunt eidem adjunximus.

Tu quoque cum toto tuorum robore in Transylvaniâ paratissimus esto, ad quatuor mundi plagas apertos habens

oculos, ſynceritate tuâ id ipſum exigente nulli labori parcas, indeſinenter tuos ad me expedias, de rebusque vel mediocris momenti certifices. Deus te diu incolumem conſervet. Datæ in Caſtris, inter Budam & Strigonium ad Veres-Vár poſitis.

Perlectis Princeps Apafius literis, diverſo, eoque penitùs contrario cum ſibi ſubjectis afficiebatur affectu; Cum toto enim regni robore ad bellũ Chriſtianis inferendum eum non cogi ſingularem exprimebat lætitiam, ex adverſo Novæ Arci, quæ, fatendum eſt, præter omnem expectationẽ noſtram cincta eſt obſidione, ne imparata inventa ſit, in extraneorumque deveniat poteſtatem, non immeritò metuebat, ſed hac de re ii, quibus res eſt perſpecta, procul dubio ſcripturi ſunt.

Tandem bene donato Kapucsi Paſsâ proprium Princeps Apafius adjungens hominem, literas ad ſupremum Purpuratum mittit, pro officiis præſtitis demiſſas

missas agit gratias, Kucsuk passam ex mandato ipsius Varadinum versus se movisse, interim ut ducentos pedites Janizaros qui lateri ejus adhæreant mittere non dedignetur subjungens, quo fine id optetur, norunt consilii ejusdem authores: utcunq; res cesserit, me nec optâsse, nec approbare fateor ingenuè.

Hæc sunt, mi Lector, quæ rudi Minervâ tecum communicare placuit. Actus, exitumque ingentium motuum qui inter duos orbis Monarchas in apertum belli incendium nunc prorupêre, doctioribus transcribēdos relinquo; Interim afflictiones nostras, earumq; in pejus aut melius vergentes progressus, si vita suppetet, aliósq; me aptiores huic operi manus admovere non contigerit, perscripturum polliceor, ita tamen si præsentia non ingrata fore experiar. Interim vale.

IN-

INDEX.

A.

Barcsa-

Auxi-

R

FINIS.

